







P. TERENTII

COMOEDIAE

EX RECENSIONE

FRANCISCI RITTERI

WESTFALI.



BEROLINI
IMPENSIS FR. NICOLAI.

MDCCCXXXIII.

P. TERENTII

ANDRIA

EX RECENSIONE

FRANCISCI RITTERI

WESTFALI.

ACCEDIT ANNOTATIO CRITICA ET EXEGETICA.



BEROLINI
IMPENSIS FR. NICOLAI.

MDCCCXXXIII.

PRAEFATIO.

Quam nunc trado eruditis lectoribus Andriae editionem non ita magno temporis intervallo ceterae elegantissimi scriptoris fabulae, ad optimorum librorum fidem restitutae, consequentur. Quae donec editae erunt omnes, de Terentii codicibus deque aliis rebus, unde pendet crisis Terentiana, explicatius dicendum mihi reservavi. Itaque nunc tantum nomina codicum, quibus hanc recensionem quasi superstruere visum est, breviter indicasse sufficiat. Est igitur

B liber Bembinus.
h - Basilicanus.
V - Vaticanus.
v - Victorianus.
D - Decurtatus.

Codex Bembinus, qui est omnium et antiquissimus et praestantissimus, legi posse incipit inde ab Andr. V, 3, 23. Horum librorum lectiones in suam Terentii editionem aut recepit aut in notis indicavit Faernus, instructus idem aliis quoque codicibus, sed qui erant notae inferioris.

F[c] Omnes Faerni codices signavi F[c].

Est porro

P liber Parisinus, quem ita adhibuit Lindenbrogius, ut suam Terentii editionem egregio huic codici fere attemperaret aut discrepantes eiusdem lectiones in suis *Observationibus in Terentii fabulas* commemoraret. Sed hoc quum non ubique ea fecerit diligentia, ut, ubi ex libro illo nihil in *Observationibus* relatum est, editionis scripturam

ex codice Parisino sumptam esse constet: ego
(P) usus sum nota (P), qua significetur lectionem illi notae praepositam inveniri in Lindenbrogii editione, sed in *Observationibus* de eadem referri nihil.

Proximum post meliores Faerni libros et illum Lindenbrogii codicem Cantabrigiensibus et Lon-
B^c dinensibus Bentleii libris concedendum putavi, unde maior etiam fructus percipi posset, si Bentleius in enotanda scripturae varietate diligentiam probare, quam in excogitandis variis coniecturis ingenii acumen ostentare maluisset. Bentleii codices signavi B^c.

Multis ac turpibus vitiis quamvis corruptus sit
H liber Halensis, quem P. I. Bruns typis excudendum curavit, tamen a mendis paulo integrior est aliis codicibus, qui in variis Germaniae bibliothecis asservantur. Itaque omnes huius libri lectiones exceptis minutiis ac vitiis quibusdam nimis manifestis commemoravi, partim ut aliorum librorum scriptura hoc momento confirmetur, partim ut, quae sit peiorum Terentii codicum ratio, inde intelligatur.

Ceteros codices, ut Palatinos Parei, Leidenses Westerhovii, Berolinenses, Gothanos, alios, nonnisi in locis admodum dubiis in consilium vocavi. Id cur fecerim, facile quidem intelligent omnes, qui meminerint repertis frugibus non esse vescendum glandibus; ipse tamen rationem meam alio loco uberius exponam.

TERENTII ANDRIA.

C. SULPITII APOLLINARIS PERIOCHA IN ANDRIAM.

Sororem falso creditam meretriculae
Genere Andriae, Glycerium, vitiat Pamphilus,
Gravidaque facta dat fidem uxorem sibi
Fore hanc: nam pater ei aliam desponsaverat,
Gnatam Chremetis, atque amorem ut comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens, suus
Quid haberet animi filius cognoscere,
Davi suasu non repugnat Pamphilus;
Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat;
Mox filiam Glycerium insperato agnitam
Hanc Pamphilo, illam dat Charino conjugem.

FABULAE INTERLOCUTORES

Simo senex.
Sosia libertus.
Davus servus.
Mysis ancilla.
Pamphilus adulescens.
Charinus adulescens.
Byrria servus.
Lesbia obstetrix.
Glycerium adulescentula.
Chremes senex.
Crito hospes.
Dromo lorarius.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. M. FULVIO ET M'. GLABRIONE AEDILIB. CURULIB. EGERUNT L. AMBIVIUS TURPIO L. ATILIUS PRAENESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS CLAUDI TIBIIS PARIB. DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRAECA. EDITA M. MARCELLO CN. SULPICIO COSS.

PROLOGUS.

Poëta cum primum ȧnimum ad scribendum ȧdpulit,
Id sibi negoti crėdidit solům dari,
Popůlo ut placerent quȧs fecisset fȧbulas.
Verum ȧliter evenire multo intėllegit:
Nam in prȯlogis scribůndis operam abůtitur,

---

1. **Adpulit**: *in secunda lectione* attulit *fuit*, Scholiasta.

3. Positionis vi ita utuntur poetae comici, ut eius auxilio syllabas in arsi positas *saepe* producant: alioquin et in arsi et in thesi syllabis positione instructis saepissime pro brevibus utuntur; et hoc quidem fere sine exceptione factum ab istis reperimus, ubi brevis vocabuli cuiusdam syllaba in consonantem desinens ab alterius vocabuli consonante excipitur. Quapropter in ponendis ictus rhythmici notis et in hoc loco et in aliis a Bentleii ratione discessi: nam Bentleius scribit Popůlo ůt *placerent*, atque (v. 7.) Veteris *poetae*, ego Popůlo ut *placerent*, atque *Vetėris poetae*: nimirum ictus praecipue secundam ferit iambici pedis syllabam (◡ ◡́ ◡), neque hi pedes anapaesti sunt sed tribrachi. Sin autem pes quidam tribus syllabis compositus duabus facile proferri potest, ut infra I, 1, 3. aliůd-*quid*, morem Bentleianum tenui. Conf. ibid. v. 75. Rectius etiam v. c. in versu Andriae I, 1, 56. scribetur *habėt observabam*, quam *habet ȯbservabam*: nam brevem esse syllabam ob quanquam sequente consonante ex aliis Terentii locis constat; sed tamen in talibus novare nolui, ne legendi facilitas obscuretur. Scripsi igitur *et hic ille* ac similia eodem modo, quamvis *et hic ille* verius esse intelligam.

5. Terentium ex omnibus suis comoediis primam docuisse Andriam testes tradiderunt haud contemnendi duo, Vitae Terentianae scriptor atque Aelius Donatus. Prior ea de re tradidit haece: *Scripsit comoedias sex: ex quibus primam, Andriam, cum aedilibus daret, iussus ante Caecilio recitare, ad coenantem quum venisset, dictus est initium quidem fabulae, quod erat contemptiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse; post paucos vero versus invitatus, ut accum-*

Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris poetae maledictis respondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quaeso animum advortite.

---

beret, coenasse una, deinde cetera percurrisse non sine magna Caecilii admiratione. Donatus in praefatione in Andriam: *Haec prima acta est ludis Megalensibus, M. Fulvio et M'. Glabrione aedilibus curulibus. — — et est tota graeca, edita M. Marcello et Cn. Sulpicio coss. pronunciataque est* Andria Terentii *ob incognitum adhuc nomen poetae et minoris apud populum auctoritatis ac meriti. — — et successu spectata prospero hortamento poetae fuit ad alias conscribendas.* Quae testimonia quum sine ulla ambiguitatis specie prolata sint, eo magis subeat mirari hunce Andriae prologum cum ipsis adversa fronte pugnare. Nam quid est, cur poeta, qui nunc primum fabulam in scaenam dicitur committere, se in scribendis prologis operam dicat abuti, non qui argumentum narret, sed qui malevoli veteris poetae maledictis respondeat? Quid est, cur Luscius iste Lanuvinus aliique Terentii obtrectatores Andriam nondum actam et a nemine spectatam vituperarent, et tanquam fabulam e Graecis contaminatam exagitarent? Ad eas difficultates nemo dum animum advertit, nisi quod Westerhovio, viro alioqui minime sagaci, quicquam suboluisse apparet ex nota, quam scripsit ad v. 5.: *Recte hinc conficitur, iam ante Andriam plures prologos atque adeo plures etiam fabulas scripsisse Terentium.* Sed hoc est non tam solvere nodum quam gladio temere discindere. Nam primum sex tantum comoedias scripsisse Terentium tota antiquitas clamat: tum vero praeter Andriam reliquas quinque seriore aetate actas fuisse et ex testibus modo commemoratis et ex singulis didascaliis satis constat. Itaque sic statuo, quam nos habemus fabulam prioris esse editionem alteram, iterum ab aedilibus emptam, ideoque novo prologo auctam, ac fortasse in ceteris partibus plus minusve immutatam et emendatam. Nam quum primum acta esset haec fabula, vetusque iste poeta cum aliis Terentii inimicis plura in ea reprehendenda invenissent: Terentius, quum interiecto temporis spatio iterum docendam Andriam obtulisset, in prologo de integro facto obtrectatores suos, ab iniustis vituperiis ut abstinerent, monuit, simulque vituperationis istius rationem et iniquitatem aequis spectatoribus exposuit. Sic demum in hoc prologo apte intelligi posse omnia quum in aperto sit: alio tamen indicio sententia a me proposita magnopere confirmatur: nam vide mihi prologi finem:

Menànder fecit Ándriam et Perínthiam.
Qui utràmvis recte nòrit, ambas nòverit.
Non íta sunt dissímili árgumento, sèt tamen
Dissímili oratiòne sunt factae àc stilo.
Quae cònvenere, in Ándriam ex Perínthia
Fatètur transtulísse atque usum prò suis.
Id ísti vituperant fáctum; atque in eo dísputant,
Contáminari nòn decere fábulas.
Faciúntne intellegèndo, ut nihil intèllegant?
Qui cum húnc accusant, Naèvium Plautum Énnium

Ut pernoscatis, etquid spei sit relicuum,
Posthac quds faciet de integro comoedias,
Spectandae an exigendae sint vobis prius.

Ruhnkenius in Dictatis *de integro* significare *denuo* dixit. At vero *de integro* neque prorsus idem est ac *denuo*, et, si esset, perquam otiose positum esset, quia idem per particulam *posthac* iam satis indicatum erat. Immo fabulae *de integro factae*, h. e. *novae*, opponuntur iis, quae secundis curis politae iterum docentur; qualis quum esset haec Andria, recte dixit poeta, cognoscite hanc, ut inde pernoscatis num quas faciam *de integro* posthac fabulas, spectandae sint an potius exigendae.

11. *sunt dissimili* 3 Bentleii codices recentiores, *dissimili sunt* ceteri. Scilicet scriptura a nobis reposita iam antiquissima aetate sive a grammaticis sive a librariis rei metricae ignaris immutata est propter verborum collocationem non ita vulgarem. Faernus lectionem vulgo receptam ità numeris astringere voluit, ut pronunciandum praeciperet *argmento*, sed recte eapropter reprehensus est a Bentleio: quippe secunda in *argumento* quum producatur, delitescere inter pronunciandum nequit. Bentleius dedit *et tamen*, eamque coniecturam impugnavit Hermannus Opuscul. II. p. 268 — 271., ipse scribens sive *tamen* sive *attamen*. In lectione *sunt dissimili* temere offendit Bentleius. Conf. infra ad I., 5, 1. in fine.

13. *Perinthia hic* coni. Bentl. Terentius statim ab initio nomine *poeta* ita se designavit, ut in sequentibus de semet ipso sermonem esse, ubi alius haud diserte nominatur, facile spectatores agnoscerent. In Bentleii coniectura id etiam offendit, quod pronomen in versus fine positum est.

16. *debere* P.

17. *nae* Lindenbrogius; male: conf. Faerni nota et Bentleii.

Accúsant, quos hic nóster auctorés habet:
Quorum aémulari exóptat neclegéntiam,
Potiús quam istorum obscúram diligéntiam.
Dehinc, út quiescant pórro, moneo, et désinant
Maledícere, malefácta ne noscánt sua.
Favéte, adeste aequo ánimo et rem cognóscite,
Ut pérnoscatis, étquid spei sit rélicuum,
Posthác quas faciet de integro comoédias,
Spectándae an exigéndae sint vobís prius.

Actus I. Scaena I.

Simo. Sosia.

Si. Vos ístaec intro auférte: abite. Sósia
Adésdum, paucis té volo. So. dictúm puta,
Nempe út curentur récte haec. Si. immo aliúd. So. quid est,
Quod tíbi mea ars éfficere hoc possit ámplius?
Si. Nihil ístac opus est árte ad hanc rem, quám paro,

---

25. *et quid* Faernus et Lindenbrogius. *et* om. P. H. *etquid* est *ecquid*, ut scripsit Bentl. *relliquum* Faernus et Lindenbrogius, *reliquum* H et veteres editiones. Scriptura *relliquum* defendi nulla ratione potest: nam siquando prima producta invenitur hoc vocabulum, arsis vi ac litterae subsequentis liquidae auxilio id effectum est: quod quum ignoraretur, falsa illa scribendi ratio passim admissa est. Apud poetas antiquos hoc vocabulum semper quattuor syllabis constat, ut primus docuit Bentleius ad Phaedrum I, 31, 13. Persius primum tribus syllabis efferre *reliquus* coepit, deinde Martialis ac Iuvenalis. Conf. C. L. Schneider *Elementis ling. Lat.* I. 2. pag. 591. Itaque Bentleius in sua Terentii editione ubique scripsit hoc verbum *reliqiius*. Sed q sine u ne pronunciari quidem potest, atque *reliqiius* non minus est verbi monstrum quam *qiii qiiae, seqiiutus*. Inde veram eius vocis scripturam esse *relicuus* certo consequitur, quae ipsa in antiquis ac bonis codicibus saepe invenitur. Hoc compertum videtur fuisse scholiastae, qui scribit ad h. l.: *Sed sive* hoc reliquum *dicit sive* reliquum *pro* reliquorum, *geminato u* (ll Westerh., male) *scribitur*.

1. *ista haec* H, *isthaec* Lindenbrogius.

Set iis, quas semper in te intellexi sitas,
Fide et taciturnitate. So. exspecto quid velis.
SI. Ego postquam te emi, a parvulo ut semper tibi
Aput me iusta et clemens fuerit servitus,
Scis. feci, ex servo ut esses libertus mihi,
Propterea quod serviebas liberaliter.
Quod habui summum, pretium persolvi tibi.
So. In memoria habeo. Si. haut muto. So. factum gaudeo,
Si tibi quid feci aut facio, quod placeat, Simo;
Et id gratum fuisse advorsum te habeo gratiam.
Sed hoc mihi molestumst: nam istaec commemoratio

---

6. his H.

10. Primus quod sciam Pareus versum tanquam e Menandro, sumptum attulit hunce: ἐγώ σ' ἔϑηκα δοῦλον ὄντ' ἐλεύϑερον, quem Westerhovius ex Clerici fragmentis Menandreis p. 16. sic transcripsit: ἐγώ σε δοῦλον ὄντ' ἔϑηκ' ἐλεύϑερον. Sumpsit versum Pareus ex Aristotelis Elench. Sophist. III, 7. Itaque Menandri non est hic senarius: nam Menander primam docuit fabulam Ol. 114, 4., Aristoteles autem mortuus est Ol. 114., 3. Conf. Meinekius in *Menandri et Philemonis Reliquiis* p. 22.

11. *serviebas* libri, *servibas* Bentl. Equidem *serviebas* tribus proferre syllabis quam scribere *servibas* malui.

13. Quod vulgo legitur Si. *haut muto factum.*, id plures ob causas displicet. Nam primum quod his verbis significari putant, *te non rursus vindicabo in servitutem*, id Latine dicendum erat, *haut muto hoc factum* s. *illud factum. Haut muto factum* nihil est nisi, *geschehenes aendere ich nicht.* Nec vero a domino, qui libertum nunc sibi paratissimum esse concupiebat, id dici attinebat, istum non rursus vindicatum iri in servitutem, nam hoc sponte libertus certo sperabat, sed ea clementia, qua adhuc erga eum usus fuerit, semper in eundem se usurum esse. Id autem praeclare exprimitur verbo *mutare* absolute posito. Quapropter personarum distinctionem a Palmerio factam, a Bentleio autem commendatam, recepimus. Donatus sive quisquis est pro varia lectione affert *multo*, eique verbo damnandi significationem humane tribuit. *multo factum* prorsus nihil est, ac nemini probatum nisi Reinhardtio.

14. *quid tibi* H. *placet* (P).

16. *ista haec* H.

Quasi exprobratio est immemoris benefici.
Quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis.
Si. Ita faciam. hoc primum in hac re praedico tibi:
Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.
So. Cur simulas igitur? Si. rem omnem a principio audies:
Eo pacto et gnati vitam et consilium meum
Cognosces, et quid facere in hac re te velim.
Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
Liberius vivendi fuit potestas — nam antea
Qui scire posses aut ingenium noscere,
Dum aetas metus magister prohibebant? So. ita est.

---

17. *immemori* coni. Bentleius, graviter ille offendens in absurda Donati explicatione, qua *immemoris* ad *benefici* refertur: *immemoris* nihilominus cum libris tenendum est atque pro genitivo personae accipiendum, quem vocant obiectivum. *Exprobratio immemoris benefici* est igitur exprobratio adversus eum facta, qui obliviscitur beneficium.

19. *praedicto* H.

25. Recitandum est *liberjus* et uno pedo dactylico (— ◡◡́) comprehendendum. Bentleius pluribus admissis coniecturis scripsit:
Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia, ac
Libera vivendi fuit potestas, (nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum eum aetas, metus, magister cohibebant. So. *ita est.*)
Bentleium copiose refutavit Ludov. Schopenus *de Terentio et Donato* p. 5. sqq. Ceterum cave decipiaris Bentleii verbis ad v. 25. scriptis: *Ceterum quum a Dactylo Senarius incipit. Ictus a secunda syllaba in primam retrahitur; quod saepe apud Nostrum tibi occurret.* Si Bentleio in hac re obsequimur, numerum omnem perdimus; nam ubi dactylus fuerit in primo pede, ad Bentleii praeceptum primam dipodiam recitabimus sic:

⊥ ◡ ◡ ◡ ◡◡́

Sed in hac forma quum thesis pedis dactylici continuo excipiatur a thesi iambica, numerus turbatur ac tollitur. Recitandum est igitur contra Bentlei praeceptum sic:

— ◡◡́ ◡ ◡◡́

Orta haec Bentleii observatio est ex infelici *accentus* et *ictus* confusione. Conf. mea in *Elementorum grammaticae Latinae* libro I. cap. VII. pag. 62 — 77.

SI. Quod plerique omnes faciunt adulescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos:
Horum ille nihil egregie praeter cetera
Studebat; et tamen omnia haec mediocriter.
Gaudebam. So. non iniuria: nam id arbitror
Adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.
SI. Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati:
Cum quibus erat cumque una, iis sese dedere:
Eorum obsequi studiis: advorsus nemini:
Nunquam praeponens se illis: ita facillume
Sine invidia laudem invenias et amicos pares.
So. Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore
Obsequium amicos veritas odium parit.
SI. Interea mulier quaedam abhinc triennium
Ex Andro commigravit huic viciniae,

---

31. *caetera* H.

33. *id ego* coni. Bentleius. Conf. Schopenus l. c. p. 8. 9.

37. Verba *advorsus — se illis* ab interpolatore addita esse Bentleius opinatur, inductus partim doctrinae suae metricae falsis legibus partim sententiae a poeta enunciatae ignoratione. Sententiam bene explicuit Schopenus p. 12 — 17., nisi quod discriminis, quod intercedit inter *se praeponens* et *se anteponens*, omnino oblitus, adversus inutilem Reisigii coniecturam, *Coniectaneis in Aristophanem* p. 305. 306. de hoc loco propositam, iusto vehementius invehitur.

38. *ita ut* H.

43. *Huic viciniae* libri omnes. Priscianus p. 1101. (II. p. 84. 85.): *Diversi quoque casus vel casus pro casibus figurate tam a nostris quam a Graecis saepissime ponuntur. — — Terentius in Andria: — —* Ex Andro commigravit huic viciniae. Nonius Marcellus p. 499, 7 et 21.: *Dativus pro accusativo. — — Terentius — — in Andria:* Interea mulier quaedam abhinc triennium ex Andro commigravit huic viciniae. Donatus vero s. Scholiasta: huc viciniae: *viciniae* χάρελλον, *huc loci vel huc locorum. Legitur et, huic viciniae.* Donatum fere secuti sunt editores et in his Bentleius, qui allatis grammaticorum testimoniis modo transcri-

Inopia et cognatorum neclegentia
Coacta, egregia forma atque aetate integra.
So. Ei, vereor ne quid Andria adportet mali.
Si. Primum haec pudice vitam parce ac duriter
Agebat, lana ac tela victum quaeritans:
Set postquam amans accessit, pretium pollicens,
Unus et item alter, ita ut ingenium est omnium
Hominum ab labore proclive ad lubidinem,
Accepit conditionem, dein quaestum occipit.
Qui tum illam amabant forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum: Certe captus est:
Habet. observabam mane illorum servolos
Venientis aut abeuntis: rogitabam, Heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? nam Andriae
Illi id erat nomen. So. teneo. Si. Phaedrum aut Cliniam
Dicebant, aut Niceratum: nam hi tres tum simul
Amabant. Eho, quid Pamphilus? Quid? symbolam
Dedit, cenavit. gaudebam. item alio die
Quaerebam: comperiebam nihil ad Pamphilum
Quicquam adtinere. enimvero spectatum satis
Putabam et magnum exemplum continentiae:
Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi,

---

ptis superbius quam verius dicit: *Vides, ut magnos olim magistros exercebant, qnae pueris iam nostris facillima sunt.* Genuinum ac verum est *huic viciniae,* quod tantis auctoritatibus hoc loco defenditur. Casum tertium verbo *commigravit* ideo coniunxit Simo, ut Andriae commigrationem tanquam in terra Attica plane confectam proponeret: nam haec est verborum sententia: ex Andro commigravit atque in hac vicinia sedem fixit.

59. 60. *Cliniam aut|Niceratum dicebant* ex uno codice chartaceo scripsit Bentleius, quum in vulgata numerum haerere putaret: sed numerus procedit, si quarto pedi anapaestum *(— ratum nam hi)* concedimus. *Dicebat* H.

61. *symbolam* V b et alii F[c] P perpauci B[c] et H, *symbolum* ceteri; perperam.

Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere iam ipsum suae vitae modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, et laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.
Quid verbis opus est? hac fama inpulsus Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit: despondi: hic nuptiis dictust dies.
So. Quid igitur obstat: cur non fiant? Si. audies.
Fere in diebus paucis, quibus haec acta sunt,
Chrysis vicina haec moritur. So. o factum bene:

---

67. *commoveatur* H.

68. *iam habere* codex Academicus Bentleii, qui hanc scripturam recepit. Satis infeliciter idem versum dimetitur in hunc modum: *scias pos|se iam ha|bere ipsum suae vitae modum.*

69. *tum id* H.

72. „*Hac* in elevatione est; *Fama*, quod praecipuam emphasin habere debuit, in depressione vix auditur. Quanto igitur melius est, et in pronuntiatione luculentius?

Quid verbis opus est? fama hac inpulsus Chremes." *Bentleius.* Simili ratione sexcenties vir sagacissimus se torsit, nec tamen efficere potuit, ut ubique in Terentii versibus verba gravia sub ictu ac levia in thesi ponerentur. Cecidit ille in hunc errorem, quia ictum rhythmicum accentu acuto contineri falso putabat. Sed ictus cum numeri motus sit acceleratus, thesis eiusdem motus remissus: et gravissima et levissima vocabula perinde in arsi ac thesi poni posse apparet. Itaque ne ullam quidem mutationem hac de causa a Bentleio in Terentii comoediis factam probamus. Ceterum incredibile dictu est, quot viros doctos hoc artificio Bentleius aut turbaverit, aut ad similes errores docta fronte committendos invitaverit.

76. *igitur* om. Vb. *vere fiunt* H., *verae fiant* ceteri. In vulgata scriptura (*verae fiant*) versus integro pede est longior: quapropter Faernus vocem *igitur* cum libro Vaticano suo et Basilicano omisit: sed multo aptius voc. *verae* delevit Bentleius. *Verae* non solum est supervacaneum sed etiam a Latinitate laborat: nam dicendum erat *reapse.* Hoc quodammodo videtur sensisse qui codicis Halensis lectionem dedit.

Beasti: metui a Chryside. Si. ibi tum filius
Cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat frequens:
Curabat una funus: tristis interim,
Nonnumquam conlacrumabat. placuit tum id mihi.
Sic cogitabam: Hic parvae consuetudinis
Causa huius mortem tam fert familiariter:
Quid si ipse amasset? quid hic mihi faciet patri?
Haec ego putabam esse omnia humani ingeni
Mansuetique animi officia. quid multis moror?
Egomet quoque eius causa in funus prodeo,
Nihil suspicans etiam mali. So. hem quid est? Si. scies.
Effertur. imus. interea inter mulieres,
Quae ibi aderant, forte unam aspicio adulescentulam,
Forma — So. bona fortasse? Si. et voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.
Quae tum mihi lamentari praeter ceteras
Visa est: et quia erat forma praeter ceteras
Honesta et liberali, accedo ad pedisequas:

---

79. *ei metui* 3 B^c H et Priscianus p. 796. (I. p. 376.). Priscianus *ei* pro dativo pronominis accepit, ut sit, *Pamphilo metui a Chryside.* Quod quum satis languere sentiret Bentleius, *ei* interiectionem esse statuebat; sed ita Latinitas laborat: *ei* enim dolentis est, non gaudentis. Itaque cum pluribus ac melioribus libris vocem molestam omisimus.

80. *Qui amabant Chrysidem* h. e. qui amabant, quum in vivis esset Chrysis. *amarant* coni. Bentl.

85. *mihi hic* aliquot veteres editiones, veluti Tarvis. Recepit Bentleius, ut hic in arsi poneretur. Conf. ad I, 1, 72.

89. *quid id est* 3 B^c H. Recepit Bentleius, qui falso putabat quinto pede non libenter pedem iambicum recipi.

92. interpungebatur: *Forma*, So. *bona fortasse.* Senex ad liberti interrogationem ita esse ut quaesivisset quum capitis nutatione respondisset, *formae* descriptione omissa continuo ad *vultum* transit. Haesit in hisce verbis Bentleius ac satis inepte ea sic constituit: *Forma bona.* So. *fortasse.*

94. *Quia tum* Faernus et Lindenbrogius, *quae tum* B^c H et veteres editiones, *quae cum* coni. Bentleius. *caeteras* H, ut solet.

96. *pedissequas* H.

Quae sit, rogo. sorórem esse aiunt Chrýsidis.
Percússit illico ánimum. atat hoc illud est,
Hinc íllae lácrumae, haec íllast misericórdia.
So. Quam tímeo, quorsum evádas. Si. funus interim
Procédit: sequimur: ád sepulcrum vénimus:
In ígnem inpositast: flétur. interea haéc soror
Quam díxi ad flammam accéssit inprudéntius,
Satís cum periclo. ibi tum éxanimatus Pámphilus
Bene díssimulatum amórem et celatum índicat:
Adcúrrit: mediam múlierem compléctitur:
Meá Glycerium, inquit, quíd agis? cur te is pérditum?
Túm illa, út consuetum fácile amorem cérneres,
Reiécit se in eum fléns quam familiáriter.
So. Quid aís? Si. redeo inde irátus, atque aegré ferens.
Nec sátis ad obiurgándum causae. díceret,
Quid féci? quid commérui aut peccávi, pater?
Quae sése in ignem iniicere voluit, próhibui:
Servávi. honesta orátio est. So. recté putas:
Nam si íllum obiurges, vitaé qui auxílium tulit;
Quid fácias illi, quí dederit damnum aút malum?
Si. Venít Chremes postrídie ad me, clámitans:
Indígnum facinus: cómperisse Pámphilum
Pro uxóre habére hanc péregrinam. ego illud sédulo
Negáre factum. ille ínstat factum. dénique
Itá tum discédo ab íllo, ut qui se filiam

---

98. *ilico* Faernus et Lindenbrogius, sed vereor, ne in optimis ipsorum libris hoc verbum ita scribatur. Vera scriptura est *illico* h. e. inloco, eamque praebet liber Halensis. In voce *animum* ultima non eliditur, quae elisionis neglectio interpunctione excusatur. Bentleius non satis recte de hoc versu disputavit.

99. *Haec illae* coni. Bentleius.

102. *inpositast* (inposita est) P H ac plerique B^{c}, *posita est* Faernus.

104. *et cum* H.

116. *dederit qui* coni. Bentleius, ne ultima ictu feriretur. Conf. ad I, 1, 72. *illi facias* H.

Negèt daturum. So. nòn tu ibi gnatum? Si. ne haèc quidem
Satis vehemens causa àd obiurgandum. So. qui cedo?
Si. Tute ipse his rebus finem praescripsti, pater.
Prope adèst, cum alieno mòre vivendùmst mihi:
Sine nùnc meo me vivere intereà modo.
So. Qui igitur relictus èst obiurgandi locus?
Si. Si pròpter amorem uxòrem nolit dùcere,
Ea primum ab illo animàdvertenda iniùriast.
Et nùnc id operam do, ùt per falsas nùptias
Vera òbiurgandi caùsa sit, si dèneget:
Simùl sceleratus Dàvos si quid cònsili
Habèt, ut cònsumat nùnc, cum nihil obsìnt doli:
Quem ego crèdo manibus pèdibusque obnixe òmnia
Factùrum, magis id àdeo, mihi ut incòmmodet,
Quam ut òbsequatur gnàto. So. quapropter? Si. rogas?
Mala mèns, malus animus. quèm quidem ego si sènsero.
Sed quid opusst verbis? sìn eveniat quòd volo,
In Pàmphilo ut nil sìt morae; restàt Chremes,
Qui mi èxorandus èst: et spero cònfore.
Nunc tuùmst officium, has bène ut adsimules nùptias:
Pertèrrefacias Dàvom, observes filium,
Quid àgat, quid cum illo cònsili captèt. So. sat est:
Curàbo: eamus iàm nunc intro. Si. i praè, sequar.

Actus

---

123. Prima vocis *obiurgandum* corripitur, ut haec sit pedis tertii mensura, — ◡◡́.

125. *est* H.

127. *Qui* B^c fere omnes et H, *quis* Faernus et Lindenbrogius.

128. Scholiasta ad h. l.: nolit: *legitur et* nollet: inde Bentleius *nolet* fecit idque in textum recepit.

134. *pedibus* coni. Bentleius.

138. *sine* H.

144. *nunc iam* meliores B^c et H. Recepit Bentleius ac scripsit *ïam*, sed ita ingratus oritur sonus ex *ïam intro*. ut mirer dixisse Bentleium melius hoc pacto versum decurrere. *sequor* v H. Conf. Bentleius.

Actus I. Scaena II.

Simo senex. Davus servus.

Si. Non dubiumst, quin uxorem nolit filius:
Ita Davom modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit. set ipse exit foras.
Da. Mirabar hoc si sic abiret: et eri semper lenitas
Verebar quorsum evaderet:
Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo,
Numquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id aegre tulit.
Si. At nunc faciet; neque, ut opinor, sine tuo magno malo.
Da. Id voluit, nos sic nec opinantis duci falso gaudio,
Sperantis iam amoto metu, interea oscitantis opprimi,
Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias:

---

4. *Mirabor* H., Ruhnkenius *Dictatis* adverbium *semper* iungit cum verbo *verebar*, sed ita non solum valde otiosum est adverbium, sed etiam contra loquendi usum Latinorum admissum: nam dicendum erat *semper veritus sum*. Conf. Andr. I, 5, 58. III, 3, 42. IV, 4, 27. Heaut. I, 2, 10. 23. Adelph. III, 4, 49. V, 4, 9. Rectius igitur *semper* coniungimus cum *lenitas*, ut praecepit Donatus: structura graeca est: ἡ δεσπότου ἀεὶ πρᾳότης, ut apud Virgilium in Aeneide I, 198. *ante mala* sunt τὰ πρὶν κακά. In Graecis haec structura articulo egregie iuvatur, in Latinis semper habet aliquid contorti ac difficile.

5. Est clausula, qua antecedentis versus numerus continuatur.

7.) Hunc versum, ut trochaicum dimetitur Bentleius, sed nulla apparet causa, cur servum gravibus trochaeis subito incedere putemus. Itaque verbum *cuiquam* tribus syllabis efferendum et versus numero iambico astringendus est. Versu sequente aptissime trochaei admittuntur: quippe loquitur homo graviter commotus.

10. *inter* Faernus et Lindenbrogius; *interea* ex melioribus libris suis restituit Bentleius: idem exhibet H.

11. *Ut ne* coni. Bentleius. Dimidia vocalis longae pars in voce *ne* hiatu conficitur, altera restat. Conf. v. 20.

Hoc quid sit? — omnes qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt.

II, 1, 33:

Reddidisti animum. — nunc si quid potes aut tu aut hic Byrria.

Astute. Si. carnufex, quae loquitur? D. erus est, neque providaeram.

Si. Dave. D. hem, quid est? Si. ehodum ad me. D. quid hic volt? Si. quid ais? D. qua de re? Si. rogas?

Meum gnatum rumor est amare. D. id populus curat scilicet.

Si. Hocine agis, an non? D. ego vero istuc. Si. set nunc ea me exquirere,

Iniqui patris est. nam quod antehac fecit, nihil ad me adtinet.

Dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum:

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.

Dehinc postulo, sive aequumst, te oro, Dave, ut redeat iam in viam.

Da. Hoc quid sit? Si. omnes, qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt.

Da. Ita aiunt. Si. tum si quis magistrum cepit ad eam rem inprobum,

Ipsum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque adplicat.

Da. Non hercle intellego. Si. non? hem. D. non: Davos sum, non Oedipus.

IV, 1, 11. in versu Cretico:

Quis tŭ es? quis mihi es? Conf. *Elementorum grammaticae Latinae* II, 6. pag. 149 — 157.

12. *praevideram* perpauci F[c] 1 B[c]. Donatus: *Providentia duplex est: aut enim animo aut oculis praevidemus* (*providemus* Westerh.).

15. *Hoccine* H et Lindenbrogius. Conf. ad I, 5, 1.

17. *sini* Lindenbrogii codices. Scholiasta: sini *antique: aliter in Adelphis* (I, 2, 24.): Non sivit egestas facere hoc nos.

18. *defert* Cicero ad Fam. XII, 25., quam scripturam, memoriae errore ut mihi videtur ortam, cupide arripuit Bentleius, quum ita verba *aliam* et *alios* eodem accentu commodius proferri opinaretur. Immo in ictu varie posito suavius quid inest; quo accedit quod per synaloepham, *vitam affert*, ingratus verborum *aliam vitam* sonus evitatur. Ceterum editio Ciceronis Cratandria exhibet *adfert*.

23. *hem* om. P.

SI. Nempe ergo aperte vis, quae restant, me loqui. D. sane quidem.
SI. Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis
Fallaciae conari, quo fiant minus;
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Verberibus caesum te, Dave, in pistrinum dedam usque ad necem,
Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid, hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem? D. immo callide;
Ita aperte ipsam rem modo locutus, nil circuitione usus es.
SI. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier.
DA. Bona verba, quaeso. SI. inrides: nil me fallis. set dico tibi,
Ne temere facias. neque tu haut dices, tibi non praedictum. cave.

---

28. *te in pistrinum, Dave,* B^c H Nonius p. 271, 23. Servius ad Aen. I, 144; *te, Dave, in pistrinum* Faernus et Lindenbrogius ex libris suis omnibus, ut videtur. In posteriore verborum collocatione magna agnoscitur orationis gravitas, quam et percepisse et *te, Dave,* se legisse ostendit Donatus nota ad h. l. scripta: *Vult in pronomine et nomine exagitare comminatione servum, ne quid relinquat iracundiae.* Bentleius priorem lectionem praetulit.

31. Bentleius ad exagitandum Franciscum Harium *circum itione* legendum esse conatus est demonstrare; sed *circum itio* vox est nulla. *circumitio* nonnulli Bentleii codices atque unus Lindenbrogii; sed constans meliorum temporum scriptura est *circuitio* et *circuitus*. *circuitione* quattuor syllabis pronunciandum est.

33. *set dico* libri et Nonius p. 280, 11. Donatus ad Andriae verba, III, 2, 15, e d i x i n t i b i: *Hic illud reddit:* E d i c o t i b i, n e t e m e r e f a c i a s. Inde Bentleius hoc loco *edico* pro *set dico* reposuit; sed Donatus memoriae nimium confisus verbis inferiore loco positis, *edixin tibi*, perductus est, ut hoc loco legi *edico* existimaret.

34. *hoc dices* V 3 B^c H, *hoc sic dices* P, *hoc dicas* ce-

ACTUS I. SCAENA III.

DAVUS servus.

Enimvero, Dave, nil locist segnitiae neque socordiae,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis:
Quae si non astu providentur, me aut erum pessum dabunt.
Nec quid agam certumst: Pamphilumne adiutem, an auscultem seni.
Si illum relinquo, eius vitae timeo: sin opitulor, huius minas;
Cui verba dare difficilest: primum iam de amore hoc comperit:
Me infensus servat, ne quam faciam nuptiis fallaciam.
Si senserit, perii, aut si lubitum fuerit, causam ceperit;
Quo iure quaque iniuria, praecipitem me in pistrinum dabit.
Ad haec mala hoc mi accedit etiam: haec Andria,
Si ista uxor sive amicast, gravida e Pamphilo est.
Audireque eorum est operae pretium audaciam:
Nam inceptiost amentium, haut amantium:
Quicquid peperisset, decreverunt tollere:
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc. Fuit olim quidam senex,

---

teri. Donatus: *Vera ergo lectio est:* n e q u e t u h a u t d i c a s, *quod plurimi non intelligentes,* h o c d i c a s, *legunt.* Praeter *haut* illud a Donato commendatum recepi cum Bentleio *dices,* nam *neque tu haut dicas* ne Latinum quidem est.

4. *adscultem* H.

7. *observat* H. *nuptiis* Faernus P H, *in nuptiis* 2 B[c].

8. 9. sententia est: *quocunque iure, quacunque iniuria fiat, praecipitem me in pistrinum dabit.* Encliticum *que* est nostrum *oder auch.* Conf. Cic. Or. 1, 4. *Prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere. iniuria* tribus syllabis proferendum est quamvis refragante Bentleio: is coniecit,

Qua iure qua me iniuria praecipitem in pistrinum dabit. sed haec coniectura vel propterea reprobanda est, quod pronomen a nomine *praecipitem* divelli nequit. Conf. infra III, 4, 27. Phorm. IV, 3, 20. Ceterum *qua* pro *quaque* H.

11. *Sive* libri, *Si* Bentleius.

16. „Non satis venuste illud *olim* cum ictu in syllaba po-

Mercàtor: navem is frègit aput Andrum insulam:
Is òbiit mortem. ibi tum hànc eiectam Chrỳsidis
Patrém recepisse òrbam, parvam. fàbulae.
[Mi quidem hercle non fit verisimile; atque ipsìs commentum placet.]
Set Mỳsis ab ea egrèditur. at ego hinc me àd forum, ut
Convèniam Pamphilùm, ne de hac re pàter inprudentem òpprimat.

Actus I. Scaena IV.

Mysis ancilla.

Aùdivi, Archilis, iamdudum: Lèsbiam adduci iubes.
Sàne pol illa tèmulentast mùlier et temerària,

---

steriore. Neque vero si *quidam mercator* in Andro obiit, &c. id ullo modo demonstrat civem *Atticam* esse Glycerium; nisi et ille quoque mercator fuerit Atticus. Utrique vitio medicinam facies, si sic legeris,

Civem Atticam esse hanc. Fuit olim hinc quidam senex. Hinc id est Athenis, ubi fabula agitur.“ Bentleius. Prius vitium nullum est, alterum vero vel consulto quaesitum videtur a poeta, ut imitaretur turbatam ac male institutam servi narrationem.

20. Hunc versum emendando perpolire politumque numero includere frustra tentarunt critici: est is male natus et cultus Terentioque prorsus indignus: quid enim post illud *fabulae!* quo sententiam suam satis declaraverat servus incredulus, otioso hoc additamento opus erat? Eo accedunt duo vitia, metricum alterum, alterum linguae. Nam versus numerum ita excurrit, ut sit tetrameter trochaicus hypercatalecticus, qualis nunquam exstitit. Atqui huic vitio Bentleius se facile mederi posse eiecto *hercle* putabat, sed ne tum quidem abest offensio: cur enim numerus ita immutatur, ut senarios excipiat tetrameter trochaicus unus, tum rursus sequatur senarius? Linguae vitium latet in voce *atque*, quae quamvis interdum ita usurpetur, ut fere idem significet quod *et tamen:* post voculam *quidem* sententiam oppositam non potest inchoare. Hoc vitium ut tolleretur, Guyetus et Bentleius scripserunt *at;* sed ineptum emblema si ita versatur ac perpolitur, quid mirum si tandem versus aliquis et sententia tolerabilis procedat?

1. *Archilis* F^c^ B^c^ H, *Archillis* Lindenbrogius. Archylis

Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem:
Tamen eam adducam. inportunitatem spectate aniculae:
Quia conpotrix eius est. Di, date facultatem obsecro
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Set quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid siet.
Opperiar, ut sciam, numquidnam haec turba tristitiae adferat.

Actus I. Scaena V.

Pamphilus adulescens. Mysis ancilla.

Pa. Hocinest humanum factum aut inceptum? hocinest officium patris?

---

scripsit Bentleius, quia Graecum nomen sit Ἀρχυλίς, sed prisci Latini vocabula Graeca suo more atque suis litteris scripserunt: idem Bentleius *Audio* pro *Audivi* dedit libris invitis, ut sententia sit: *Audio te saepe vociferantem;* ignorabat igitur id quod ipse desiderabat significari tempore perfecto.

4. *adduci* coni. Bentleius.

5. *obsecro* om. H.

6. *pocius* H.

8. *nunc, quidnam* F[c] B[c] H, *num quidnam* Lindenbrogius, quem hoc dedisse ex libro P. admodum est verisimile. Donatus: *Comicum est et Terentianum* numquidnam (conf. infra II, 1, 25. Eun. II, 2, 41.), *quum exemptis* num *et* nam *sufficere potuisset* quid. Pro *turba tristitiae* Bentleius coni. *turbae tristitia*, qua coniectura facile carebimus. Conf. Ruhnkenius *Dictatis.*

1. *Hoccine* H. et veteres editiones Terentii ac Donati, *Hocine* antiqui libri omnes et hic et ubique in Terentii fabulis. Conf. Faernus ad h. l., idem et Bentleius ad IV, 1, 1. Itidem libri antiqui semper *hice, hicine, haece, haecine,* nunquam *hicce, hiccine, haecce, haeccine.* Simplex littera etiam in lapidibus antiquis invenitur, duplex nunquam. Conf. Gruteri T. I. pag. 506 — 509. Orellii *Inscriptt. Lat.* tom. I. n. 2623. Unde hoc? Nimirum Graecum ὅσγε Latine fit *hice* sive *hic*, ἥγε *haece* sive *haec*, ὅγε *hoce* sive *hoc*. *Hicce, haecce, hocce* aeque sunt monstra verborum ut ὅσγγε, ἥγγε, ὅγγε. Graecum ᾧγε Latine fit *huice* sive *huic*, ὅνγε *hunce* sive *hunc*, ἥνγε *hance* sive *hanc*, ὅγε *hoce* sive *hoc*; οἵγε αἵγε ἅγε Latine fiunt *hice haece haece*, sive *hi hae* ex simplici οἵ, αἵ, sed nunquam *ha* ex ἅ, sed *haec*

My. Quid illud est? P. pro deûm fidem, quid est, si haec non contumeliast?

---

sive *haece* ex αἵγε. Itaque semper scribendum est *horunce* nunquam *horuncce* pro *horum* s. *horunc*, semper *nunce* et *nuncine* nunquam *nuncce* et *nunccine*. Siquando nominativi numeri singularis *hoce* et *hice* prima producta inveniuntur, ea productio non effecta est littera bis scripta, sed quadam pronunciandi licentia et inconstantia, ut etiam simplex *hoc* et *hic* interdum producitur. Sed ea re grammatici veteres turbari se atque in errorem duci passi sunt, veluti Priscianus XII. p. 948. (I. p. 554.): Ce *quoque solebant per omnes casus addere articularibus vel demonstrativis pronominibus, hoc est ab aspiratione incipientibus, ut hicce, haecce, hocce. unde* hoc *quasi duabus consonantibus cc sequentibus solent poetae producere, ut:* Hoc erat alma parens, quod me per tela per ignes eripis? *Et sic in antiquissimis codicibus invenitur bis cc scriptum, quomodo et apud Terentium in Andria* (IV, 1, 1.): *Hoccinest credibile aut memorabile?* Hic grammaticorum error inde ortus est, quod verba *hic haec hoc* πρωτότυπα esse opinabantur. Quos antiquissimos Terentii codices antestatur Priscianus, eos grammaticorum manu correctos vel corruptos fuisse censeo. Priscianus in errore suo eo progressus est, ut *illic* ortum esse ex *illicce* contenderet: sed *illicce* est verbi monstrum, et *illic* natum esse ex casu locativo (dativo) *illi* et enclitica particula *ce* nemo non videt. Valeat igitur hac in re Prisciani auctoritas, ac restituatur vera scriptura non solum in Terentii fabulis sed etiam in ceteris optimis Latinitatis auctoribus. Scholiasta (Donatum esse vix puto) ad h. vers. *In aliis,* factu aut incoeptu; *fuit.* Videtur Scholiasta haud intellexisse scripturae compendium. Bentleius tamen hoc arripuit ac versum ita constituit:

Hócinest factu humánum aut inceptu? hócinest officium patris?

In librorum scriptura propterea haesit Bentleius, quod ictus (ille accentum esse opinabatur) in *hocinést* et *hócinest* variaret, sed haec ipsa variatio suaviter ad aures accidit.

2. *deum atque hominum* vulgo. Importunum additamentum, quo numerus turbatur, delevit Bentleius: abest ab uno Bentleii codice primariae notae, ab uno libro Leidensi et Halensi: additum videtur ab interpolatore ex v. 11. *hoc* pro *haec* 1 B[c] et Donatus: recepit Bentleius. Idem non satis apte v. 1. et 2. ut trochaicos dimetitur.

Uxorem decrerat dare sese mi hodie: nonne oportuit
Praescisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?
My. Miseram me, quod verbum audio?
Pa. Quid Chremes? qui denegarat, se commissurum mihi
Gnatam suam uxorem: id mutavit, quia me inmutatum videt.
Itanc obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum
abstrahat?
Quod si fit, pereo funditus.
Adeon' hominem esse invenustum aut infelicem quemquam, ut ego sum?
Pro deum atque hominum fidem!
Nullon ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero?
Quot modis contemptus, spretus? facta transacta omnia. hem,
Repudiatus repetor: quamobrem? nisi si id est, quod suspicor:
Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me. M. oratio haec me miseram exanimavit metu.
Pa. Nam quid ego dicam de patre? ah
Tantamne rem tam neclegenter agere? praeteriens modo

---

3. *decrerat* V (P) et plurimi B^c, *decreverat* plurimi F^c H, *decrevit* 2 B^c ac perpauci ex libris Faernianis. *sese* post *Uxorem* ponit H.

5. versus antecedentis qui exit in arsin numerus hoc dimetro continuatur. Eadem numeri continuatio redit mox v. 9. Sed simulatque in thesin desinit versus antecedens, clausula sequitur trochaica, ut v. 11. Nam sic ad numeri legem theses et arses se invicem excipiunt. Conf. Hermannus *Elementis doctr. metr.* pag. 181. sqq.

7. *quia* v (P) v ac multi alii F^c et unus ex Bentleii libris, *quoniam* ceteri. *id* pro *is* coni. Bentleius: idem non satis recte hunc versum numero iambico inclusit: nam ante finitam sententiam numerus haud erat mutandus.

8. *Ita obstinate dat operam* coni. Bentleius.

17. *ego nunc* Faernus et Lindenbrogius, *nunc* om. B^c H: recte omisit Bentleius.

18. *Tantam* coni. Bentleius, qui hunc et sequentem versum pro trochaicis habet. Conf. Herm. *Elem. d. m.* p. 183. versus 17. non est epodus sive clausula, quum tacitis ancillae dictis

Mi aput forum, uxor tibi ducendast, Pamphile, hodie, inquit, para:
Abi domum, id mi visust dicere, abi cito et suspende te.
Obstipui: censen me verbum potuisse ullum proloqui? aut
Ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam? ommutui.
Quod si ego rescissem id prius — quid facerem, si quis nunc me roget?
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. set nunc quid primum exsequar?
Tot me inpediunt curae, quae meum animum divorsae trahunt;
Amor, misericordia huius, nuptiarum sollicitatio,

Pamphilus nihil possit accinere: itaque proodus est, ac vel propter solam hanc causam versus subsequens nequit esse trochaicus.

20. *ac* pro *et* H. Etiam hunc versum tanquam trochaicum dimetitur Bentleius; sed aptius in sequenti demum versu numerus immutatur.

21. *obstipui* V D P H, *obstupui* ceteri.

22. *saltem ineptum* codex Petrensis Bentleii, quod miror huic placuisse, quum, si ita legamus, duae priores versus dipodiae in ingratum homoeoteleuton desinant. Codex ille Petrensis multis in locis interpolatus vel corruptus etiam alibi in errores duxit Bentleium.

23. *scissem* et *interroget* coni. Bentleius. Sententia sic procedit: Pamphilus incipit, quasi dicturus: quod si ego rescissem id prius, aliquid contra patris inceptum facerem; sed ante sententiam enunciatam, suam consilii inopiam sentiens, sibi iratus se ipse quaerit: quid igitur facerem (h. e. fecissem), et quid responderem, *si quis hoc ipsum me roget:* ad eam interrogationem consilii nunc quidem inops respondet: *aliquid facerem, ut hoc ne facerem*, h. e. ut ne prorsus ad patris verba tacerem. Interpretes neque verborum structuram neque sententiam intellexerunt. Interpungebatur: *Quod si ego rescissem id prius, quid facerem, siquis nunc me roget;*

24. *exequor* H.

25. *diverse* H. In versu insequente numerus mutatur propter variarum rerum descriptionem. Conf. Herm. *Elem. d. m.* p. 166. 167.

Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc,
Quae meo cumque animo lubitumst, facere. sine ego ut advorser? ei mihi,
Incertumst, quid agam. M. misera timeo, incertum hoc quorsum accidat.
Sed nunc peropust, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa adversum hunc loqui.
Dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc inpellitur.
PA. Quis hic loquitur? Mysis? salve. M. o salve, Pamphile. P. quid agit? M. rogas?
Laborat e dolore, atque ex hoc misera sollicita est, diem
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae. tum autem hoc timet
Ne deseras se. P. hem, egone istuc conari queam?
Egon propter me illam decipi miseram sinam?
Quae mihi suum animum atque omnem vitam credidit?
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim?
Bene et pudice eius doctum atque eductum sinam,
Coactum egestate ingenium inmutarier?

---

27. *animo est* ex coni. scripsit Bentleius, ne *animo* in thesi lateret. Conf, ad I, 1, 72.

29. *quorsus* coni. Bentleius; sed hoc non est Terentianum, qui forma in um exeunte constanter utitur. Conf. Andr. I, 1, 100. I, 2, 5. Eun. I, 2, 75. II, 3, 14. Adelph. I, 2, 20. Hecyr. I, 2, 118. ultima in *quorsum* non eliditur ac littera m vim suam hoc in loco tuetur.

30. *aliquid de illa me* B^c H, *me aliquid de illa* Faernus et Lindenbrogius. Bentleius scripsit:

Sed nunc peropust, aut hunc cum ipsa, aut de illa me adversum hunc loqui.

Misella ancilla gravibus trochaeis nequit incedere, sin autem posset, nulla causa esset, cur statim in versu sequente eo numero excederet.

36. *Egon* B^c H, *Egone* P, *Ego* Faernus.

Non fáciam. M. haut vereor, si in te solo sit situm;
Set vim ut queas ferre. P. ádeon me ignavóm putas?
Adeón porro ingratum, aút inhumanum, aút ferum,
Ut néque me consuetúdo, neque amor, néque pudor
Commóveat, neque commóneat, ut servém fidem?
My. Unum hóc scio, meritam ésse, ut memor essés sui.
Pa. Memor éssem? o Mysis Mýsis, etiam núnc mihi
Scripta illa dicta súnt in animo, Chrýsidis
De Glýcerio. iam férme moriens mé vocat:
Accéssi: vos semótae: nos soli: incipit:
Mi Pámphile, huius fórmam atque aetatém vides:
Nec clám te est, quam illi núnc utraeque inútiles
Et ăd pudicitiam et ád rem tutandám sient.
Quod égo te per hanc déxtram oro et geniúm tuum,
Per tuám fidem perque húius solitúdinem
Te obtéstor, ne abs te hanc ségreges, neu déseras:

---

41. *verear* plerique Bentleii codices et P, *vereor* Faernus et H. *sit solo* coni. Bentleius.

42. *ut vim* et *adeone* coni. Bentleius, ut *vim* et *ferre* in arsi ponerentur. Conf. ad I, 1, 72.

43. *Adeóne porro ingrátum, inhumanúm, ferum?* coni. Bentleius, male.

46. *hanc meritam esse* Faernus et H, *hanc* om. P et Bentleii libri meliores. *esse meritam* coni. Bentl.

48. Post *animo* comma posui, quia ibi paulisper voce insistit interlocutor, ac tum ad complendam sententiam addit, *Chrysidis de Glycerio:* Germani in hac structura articulum solent repetere: *die* (Worte) *der Chrysis über Glycerium.* Hoc quum Bentleius ignoraret, intolerabilem ambiguitatem hisce verbis contineri opinabatur, ad quam evitandam scripsit, *sunt in animo dicta Chrysidis.*

52. *utraeque inutiles* V b P 1 B^c Donatus, *utraeque res inutiles* ceteri F^c B^c et H. Donatus sive quis est ille: *Legitur et* utiles. *quam illi utraeque res nunc utiles* coni. Rivius et Bentleius. *res nunc inutiles* exhibet 1 B^c.

54. *ingenium* libri. *per* arsi ac litterae liquidae auxilio producitur. *Quod te ego per dextram hanc oro, et per genium tuum* scripsit Bentleius, male.

Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive tĕ haec solum semper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te isti virum do amicum tutorem patrem.
Bona nostra haec tibi permitto et tuae mando fidei.
Hanc mi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.
Accepi, acceptam servabo. M. ita spero quidem.
Pa. Set cur tu abis ab illa? M. obstetricem adcerso.
P. propera. atque audin?
Verbum unum cave de nuptiis, ne ad morbum hoc etiam.
M. teneo.

Actus II. Scaena I.

Charinus. Byrria. Pamphilus.

Ch. Quid ais Byrria? daturne illa Pamphilo hodie nuptum?
B. sic est.
Ch. Qui scis? B. aput forum modo e Davo audivi. C.
vae misero mihi.
Ut animus in spe atque in timore usque antehac adtentus fuit,
Ita postquam adempta spes est, lassus, cura confectus stupet.
By. Quaeso edepol, Charine, quoniam non potest id fieri,
quod vis,
Id velis quod possit. C. nil volo aliud nisi Philumenam.
B. ah,

---

58. *te haec* V b (P) H et alii Faerni et Bentleii codices, *haec te* 2 B[c] et Priscianus p. 1143 (II. p. 141.). De longa vocali ante vocalem correpta vide notam ad I, 2, 11.

64. *arcerso* H.

1. *hodie* om. P. Quid ais Byrria? *Has personas* (Charini et Byrriae) *Terentius addidit fabulae (nam non sunt apud Menandrum)*, *ne τραγικώτερον fieret Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente.* Scholiasta. Posteriora inepta sunt.

2. *de Davo* Lindenbrogius.

5. *quando* codex Regius Bentleii et Donatus ad Virgilii Aen. V, 704. *quoniam* libri ceteri omnes et Augustinus de Civ. D. XIV, 15 et 25. *quod velis* Lindenbrogius.

Quanto satiust te id dare operam,
Qui istum amorem ex animo amoveas
Tuo, quam id loqui, quo magis lubido
Frustra incendatur tua.
Ch. Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus.
Tu si hic sis, aliter sentias. B. age, age, ut lubet. C. set Pamphilum
Video. omnia experiri certumst prius quam pereo. B. quid hic agit?
Ch. Ipsum hunc orabo: huic supplicabo: amorem huic narrabo meum:
Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies:
Interea fiet aliquid, spero. B. id aliquid nihil est. C. Byrria,
Quid tibi videtur? adeon' ad eum? B. quidni? si nihil impetres,

---

7 (8.). ex animo amoveas: *legitur et*, ex corde eicias. Scholiasta. Posterius recepit Bentleius, idemque deleto *tuo* hunc et sequentem versum in tetrametrum acatalectum coniunxit, verba *quam id — tua* accipiens pro tetrametro catalectico. Sed ita tetrameter acatalectus intra duo catalecticos ponitur, neque sententia ipsa gravem tetrametrum acatalectum admittit. Itaque servi verba in systema digessi. *Tuo, quam id lo-*, pedem dactylicum trochaei loco positum efficiunt. Male Bentleius scripturam a scholiasta (Donato?) memoratam librorum lectioni praetulit: nam *ex animo amoveas* plane ex veterum comicorum Latinorum consuetudine dictum est: illi enim voces similiter sonantes miro studio ubique consectantur. Nec vero scripturis variantibus in Donati commentariis indicatis equidem multum tribuerim: nam talia maximam partem ab interpolatoribus in Donatum illata sunt.

9 (11.). Versus Graecus, ὑγιὴς νοσοῦντα ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ, Mureti (var. lect. I, 9.) est, non Menandri. Conf. Meinekius l. l. pag. 22.

10 (12.). *censeas* coni. Bentleius.

13 (15.). *per aliquot* H.

15 (17.). *quid nisi? ut nihil impetres* 1 B[c], *quid nisi? nihil ut impetres* 2 B[c], *quid, nisi nihil impetres* H. *quidni? nihil ut impetres*. *Ut* coni. Bentleius, sed hoc vix Latinum est. Donatus: quidni? si nihil impetres, *aut*, quid, nisi nihil impetres, ut te &c. *in utroque idem sensus est, sed*

Ut te àrbitretur sibi paratum mòechum, si illam duxerit?
CH. Abin hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus?
PA. Charinum video. salve. C. o salve. Pàmphile,
Àd te advenio, spèm salutem auxilium consilium èxpetens.
PA. Nèque pol consili locum habeo, nèque ad auxilium còpiam.
Sèd istuc quidnamst? C. hòdie uxorem ducis? P. aiunt. C. Pàmphile.
Si ìd facis, hodiè postremum mè vides. P. quid ita? C. ei mihi,
Vèreor dicere: huic dic quaeso Bỳrria. B. ego dicàm. P. quid est?
BY. Spònsam hic tuam amat. P. nè iste haut mecùm sèntit. ehodum dic mihi:
Nùmquidnam ampliùs tibi cum illa fuìt Charine? C. ah, Pàmphile,
Nil. P. quam vellem. C. nùnc te per amìcitiam et per amorem òbsecro,

---

superior per εἰρωνείαν, *inferior per simplicem explanationem solvitur. Et si* quidni? *legitur, subaudiendum* adeas, *ut sit:* quidni adeas, ut, si nihil impetres, te arbitretur paratum moechum, si illam duxerit? Recte.

17 (19.). *abin* V v (P) et multi B^c, *abi* H 4 B^c et ceteri F^c. *in malam crucem* perpauci F^c. Non apte hunc versum tanquam trochaicum dimetitur Bentleius: secunda verbi *abin* arsi producitur.

18 (20.). De numeri mutatione, quum alia advenit persona, dixit Hermannus *Elem. d. m.* p. 164.

19 (21.). *advenio* (P) et nonnulli, atque in iis antiqui, ex libris Faernianis. Priscianus p. 1075. (II. p. 52.): *Terentius in Andria:* Ad te advenio, spem salutem auxilium expetens; sed hic codex Lipsiensis *venio. consilium, auxilium* coni. Bentleius.

20 (22.). *ad auxilium copias* Eugraphius, *ad auxiliandum copiam* 2 B^c H, *auxilii copiam* ceteri codices. Recepi emendationem Bentleii.

25 (27.). *aha* H.

Principio, ut ne ducas. P. dabo equidem operam. C. set si id non potes,
Aut tibi nuptiae hae sunt cordi. P. cordi? C. saltem aliquot dies
Profer, dum proficiscor aliquo, ne videam. P. audi nunc iam:
Ego Charine neutiquam officium liberi esse hominis puto,
Cum is nil promereat, postulare id gratiae adponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.
Ch. Reddidisti animum. P. nunc si quid potes aut tu aut hic Byrria,
Facite fingite invenite efficite, qui detur tibi:
Ego id agam, mihi qui ne detur. C. sat habeo. P. Davom optume
Video: cuius consilio fretus sum. C. at tu hercle haut quicquam mihi,
Nisi ea, quae nil opus sunt scire. fugin hinc. B. ego vero ac lubens.

---

27 (29.). *potes* libri. Donatus: Non potest: *deest* fieri; *et hoc ad patrem retulit.* Donati lectionem recepit Bentleius. Ellipsis satis dura ita admittitur. In verbis *non potes* pueriliter haesit Bentleius.

28 (30.). *haec* coni. Bentleius.

31 (33.). *promereat* tribus syllabis pronunciandum est. *meruit* scripsit Bentleius, qui ita *legisse* Donatum (si est ipse magister) ex huiusce annotatione temere collegit.

33 (35.). „Duplex hic erratum est. Primo (primum) *Tu* non potest non elidi, cum extra ictum subsidat. Deinde *Reddidisti* perperam incipit a pede Cretico." Bentleius. *Reddidisti* non a pede Cretico sed ab anapaestico incipit; nam positio nihil valet. De *tu* ante vocalem non eliso sed correpto conf. ad Andr. I, 2, 11. *Reddixti* codex Petrensis Bentleii; *Redduxti* et *tute* coni. Bentl.

35 (37.). *qui mihi* coni. Bentleius, ut *mihi* sub ictum veniat; sed *mihi* neque indiget ictu (cf. ad Andr. I, 1, 72.), neque prorsus eo caret: nam syllabae — *gam mihi* ad numeri legem sic ◡́◡ ◡ proferuntur.

37 (39.). *opus est* 1 B^{c}. „Certe alterutrum legendum est,

Actus II. Scaena II.

Davus. Charinus. Pamphilus.

Da. Di boni, boni quid porto; sèt ubi inveniam Pàmphilum,
Ùt metum in quo nùnc est adimam, atque èxpleam animum gaùdio?
Ch. Laetus est nesciò quid. P. nihil est: nondum haec rescivìt mala.
Da. Quem ègo nunc credo, si iam audierit sibi paratas nùptias,
Ch. Aùdin tu illum? D. tòto me oppido èxanimatum quaèrere.
Sèt ubi quaeram? aut quò nunc primum intèndam? C. cèssas àdloqui?
Da. Hàbeo. P. Davc: adès. resiste. D. quis homost, qui me — o Pàmphile,
Te ìpsum quaero, eugè Charine: ambo òpportune: vòs volo.

Pa.

---

aut *opus est scire*, aut *opus sunt sciri*. Posterius placet." Bentleius. Errat.

1. In editione Bentleii post *porto* signum interrogationis positum est, ipso editore ut videtur invito.

2. *quo in* coni. Bentleius, ne *metum* in *thesi* subsidat; sed haec coniectura soloecismo laborat, neque ad hanc locutionem approbandam quicquam valet Plauti versus, quem Bentleius attulit ex Curcul. IV, 1, 6.

Commonstrabo, quo in quemque hominem facile inveniatis loco.

6. *aut* om. 6 B[c] P H.

7. *abeo* libri, sed hoc aspirata omissa nihil aliud videtur esse, nisi *habeo*, h. e. *scio* s. *inveni*. Donatus: Habeo: *videtur quasi constitisse, deinde quasi elegisse, quo pergat.* Alius (ut videtur) scholiasta: Habeo *per H inveni: legitur et* abeo, *uti merito illi dicatur*, resiste. Bentleius scripsit:

Set ubi quaeram? quo nunc primum intendam, C. cessas adloqui?

Da. *Habeo.*

8. ultima vocis *euge* arsis ope producitur.

PA. Dave, perii. D. quin tu hoc audi. P. interii. D. quid timeas scio.
CH. Mea quidem hercle certe in dubio vitast. D. et quid tu, scio.
PA. Nuptiae mi. D. et si scio? P. hodie. D. optundis, tametsi intelligo.
Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. C. rem tenes.
PA. Istuc ipsum. D. atque istuc ipsum nil pericli est: me vide.
PA. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu. D. hem,
Libero: tibi non dat iam uxorem Chremes. P. qui scis? D. scio.
Tuus pater modo me prehendit: ait tibi uxorem dare
Se hodie; item alia multa, quae nunc non est narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi haec.
Ubi te non invenio ibi, ascendo in quendam excelsum locum.
Circumspicio; nusquam. forte ibi huius video Byrriam.

---

11. *et si* vetustiores F^c (P) H. Bentleiani partim *etsi* partim *et id*. Scholiasta: et id scio: *legitur*, etsi scio. Recte Bentleius *etsi* praetulit, sed scribendum erat *et si*. Post *intelligo* signum interrogationis ponunt editores.

12. *pcaves* P, *praecaves* H.

15. *non dat iam* antiqui F^c B^c (P) H, *iam non dat* nonnulli recentiores ex libris Faerni, *tibi uxorem non dat iam Chremes* 1 B^c, quod ut numerosius recepit Bentleius. Inest vitium metricum. *scies* codex Collegii Corp. Christi in margine, *scio* libri omnes. Nec vero ex Donati annotatione eum legisse *scies* certo consequitur, ut putabat Bentleius. Scribit ille: Scio: *Praeparatio est auditoris ad eam narrationem, quae ostendit argumenta falsarum nuptiarum.*

16. *me modo* 2 B^c. *apprehendit* H. *sese dare* 1 B^c, *sese* om. 1 B^c, *dare sese* ceteri omnes. Scripsi *se* et ad versum sequentem transtuli. *uxorem dari Hodie* coni. Bentleius.

19. *ibi* om. 2 B^c. *escendo* codex unus Guyeti. Bentleius coni. *Ubi te non invenio, escendo in quendam ibi excelsum locum.*

20. *ibi forte* 3 B^c. *nusquam es. ibi forte* coni. Bentl.

Rogo: negat vidisse. mihi molestum. quid agam, cogito.
Redeunti interea ex ipsa re mi incidit suspicio: hem,
Paululum obsoni: ipsus tristis: de inproviso nuptiae:
Non cohaerent. P. quorsumnam istuc? D. ego me continuo ad Chremem.
Cum illoc advenio: solitudo ante ostium: iam id gaudeo.
CH. Recte dicis. P. perge. D. maneo: interea introire neminem
Video, exire neminem: matronam nullam in aedibus,
Nil ornati, nil tumulti. accessi: intro aspexi. P. scio.
Magnum signum. D. num videntur convenire haec nuptiis?
PA. Non, opinor, Dave. D. opinor, narras? non recte accipis.
Certa res est. etiam puerum inde abiens conveni Chremis:
Olera ac pisciculos minutos ferre obolo in cenam seni.
CH. Liberatus sum hodie, Dave, tua opera. D. ac nullus quidem.
CH. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. D. ridiculum caput!
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere:
Nisi vides, nisi senis amicos oras ambis. C. bene mones.
Ibo, etsi hercle saepe iam me spes haec frustratast. vale.

Verbum *es* neque opus est neque legit Donatus, quippe qui scribat: nusquam: *deest* vidi.

21. *vidisse sese* H.

24. *Non cohaerent* Charino tribuit H.

25. *illo* editiones veteres, sed hoc non est Terentianum: recepit contra librorum fidem Bentleius.

31. *Chremis* libri et Valerius Probus p. 1465. 1468. et Consentius p. 2050. *Chremi* Donatus vel Scholiasta, unde recepit Bentleius. Recte offendit Bentleius in structura, *conveni puerum ferre olera*, scribens *conspexi*. Ego interpunctione locum sanavi: *ferre* est infinitivus historicus, quem dicunt.

32. *obulo* (P). caenam (P) H. *ferre in cenam obolo seni* coni. Bentl., ut *obolo* in arsi ponatur. Conf. ad I, 1, 72.

33. *Dave, hodie* 3 B^c et Priscianus p. 1015. (I. p. 626.).

Actus II. Scaena III.

Pamphilus. Davus.

Pa. Quid igitur sibi volt pater? cur simulat? D. ego dicam tibi.
Si id suscenseat nunc, quia non det tibi uxorem Chremes,
Priusquam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit,
Ipsus sibi esse iniurius videatur: neque id iniuria.
Set si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet:
Tum illae turbae fient. P. quidvis patiar. D. pater est, Pamphile.
Difficilest. tum haec solast mulier. dictum factum invenerit

---

2. *suscenseat* antiquissimi Faerni codices et hic et ubique. Conf. Faerni nota ad And. II, 6, 17. Eadem ratione verbum scribitur in H; Lindenbrogius edidit *succenseat*, sed vereor, ne ita in codice Parisino legatur. Bentleius de libris suis nihil rettulit. Iam si *suscenseo* vera est scriptura, qua de re equidem non dubito, falsa sunt quae de huius vocis significatione comminiscitur Ruhnkenius *Dictatis:* „*Succensere* proprie est censionem censoris aegre ferre et ideo mussare, aliter post illum censendo. Sic verbi rationem explicat Perizon. ad Sanct. Min. III. 3. p. 381. Inde ponitur pro *subirasci*, *stomachari.*“ *Suscensere* est *sursum censere*, h. e. *contra censere.* 2. *det* B^{c} H et plures F^{c}, *dat* (P) et complures F^{c}.

3. Hic versus in omnibus libris et editionibus quarto loco ac subsequens tertio legitur.

4. *vel quid iniuria* H. scilicet interpolator, perverso versuum ordine turbatus, ita structuram sustentare voluit.

5. *culpam omnem* H.

6. Non male Donatus: Pater est, Pamphile: *hoc vultuose pronuntiandum est, et mire* pater *dixit, ut ipso nomine videatur habere auctoritatem; et veluti dormitantem et oblitum potestatis paternae his tribus excitat:* pater est, difficile est, haec sola est.

7. *dictum ac factum* libri et editiones; sed si importunum *ac* tenetur, voces *dictum* et *factum* necessario tanquam accusativi ad verbum *invenerit* referendi sunt, quo quidem totius enunciationis structura conturbatur. Simulac celeritatis notio in

Aliquam causam, quamobrem eiciat oppido. P. eiciat?
D. cito.
PA. Cedo igitur quid faciam, Dave? D. dic te ducturum.
P. hem. D. quid est?
PA. Egon dicam? D. cur non? P. numquam faciam.
D. ne nega.
PA. Suadere noli. D. ex ea re quid fiat, vide.
PA. Ut ab illa excludar, huc concludar. D. non itast.
Nempe hoc sic esse opinor: dicturum patrem,
Ducas volo hodie uxorem: tu, ducam, inquies:
Cedo quid iurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,
Sine omni periclo; nam hoc haut dubiumst, quin Chremes
Tibi non det gnatam. nec tu ea causa minueris
Haec, quae facis, ne is mutet suam sententiam.
Patri dic velle: ut, cum velit, tibi iure irasci non queat.
Nam quod tu speres, propulsabo facile; Uxorem his moribus
Dabit nemo. inveniet inopem potius, quam a te corrumpi sinat.

---

modum adverbii indicanda est, dicitur *dictum factum:* hoc est Terentianum. Conf. Heaut. V, 1, 31.

Quid postquam hoc est factum? — dictum factum huc abiit Clitipho.

Etiam Germani, *gesagt gethan*, pro qua locutione si quis dixerit, *gesagt und gethan*, non aberit, quin rideatur. *ac* natum est ex initio vocis *factum*.

8. *eiciat oppido.* P. *eiciat?* libri; editiones multae utroque loco *eiiciat*. Hiatus in fine vocis *quamobrem* propter diaeresin potest tolerari. *quamobrem eam oppido eiciat.* P. *eiciat?* D. *ac cito* coni. Bentleius.

10. *egone* (P) H.

12. *hac concludar* H.

15. *reddes ei* H.

17. *periculo* libri: correxit Faernus. *hocce* Lindenbrogius.

20. *velle te* unus Lindenbrogii codex et H.

21. *speres* V (P) et veterrimus B^{c}, *speras* ceteri. Donatus: *sunt qui pro* s p e r e s t i m e a s *habeant.*

22. *quam te* libri et editiones; sed sane mirandum videtur

Set si te aequo animo ferre accipiet, neclegentem feceris:
Alia otiosus quaeret: interea aliquid acciderit boni.
PA. Itan credis? D. haut dubium id quidemst. P. vide quo me inducas. D. quin taces.
PA. Dicam. puerum autem ne resciscat mi esse ex illa, cautio est:
Nam pollicitus sum suscepturum. D. o facinus audax! P. hanc fidem
Sibi me obsecravit, qui se sciret non deserturum ut darem.
DA. Curabitur. set pater adest. cave te esse tristem sentiat.

ACTUS II. SCAENA IV.

SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

SI. Reviso quid agant, aut quid captent consili.
DA. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde ex solo loco:
Orationem sperat invenisse se,

---

hoc turpe vitium tam diu potuisse tolerari: nam *te corrumpi sinat*, ut hoc loco collocatum est, nihil potest significare nisi, *ut tu corrumparis, sinat:* atque hoc prorsus ineptum est. *nemo*, h. e. neque Chremes neque alius: subiectum igitur, ad *inveniet inopem* (filiae virum) *potius* cogitatione supplendum, *Chremes* est; sed verba *ferre accipiet* cet. de Simone dicuntur. Sententiarum nexum haud perspexit Bentleius, ut patet ex eius nota ad v. 24. Errant etiam Scholiasta et Ruhnkenius.

24. *Alia* Fc Bc (P) H, *aliam* nonnulli peioris notae codices, ut Westerhoviani, quod Bentleium recepisse mireris. *queret* H.

26. *ab illa* nonnulli Fc haud antiqui.

28. *qui se sciret non deserturum* Fc Bc (P); *me* pro *se* H, *desertum iri* unus Mureti codex, id quod Bentleius recepit, sed ob causam satis vanam.

1. *quidve captent* coni. Bentleius.

3. 4. Donatus: *Menander:*

Εὑρετικὸν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν
Οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες.

Donati editiones εὑρετικὴν exhibent; correctum est a Bentleio ad Menandr. p. 9. et a Brunckio ad Aristoph. Ran. 1482. Conf.

Qui differat te: proin tu fac aput te ut sies.
PA. Modo ut possim, Dave. D. crede inquam hoc mihi, Pamphile,
Numquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse verbum, si te dices ducere.

ACTUS II. SCAENA V.

BYRRIA. SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

BY. Erus me relictis rebus iussit Pamphilum
Hodie observare, quid ageret de nuptiis.
[Scirem: id propterea nunc hunc venientem sequor.]
Ipsum adeo praesto video cum Davo: hoc agam.
SI. Utrumque adesse video. D. hem, serva. S. Pamphile.
DA. Quasi de inproviso respice ad eum. P. ehem pater.
DA. Probe. S. hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
BY. Nunc nostrae timeo parti, quid hic respondeat.
PA. Neque istic, neque alibi tibi erit usquam in me mora.
B. hem.
DA. Ommutuit. B. quid dixit? S. facis ut te decet,
Cum istuc quod postulo impetro cum gratia.
[DA. Sum verus? B. erus, quantum audio, uxore excidit.]

Meinekii *Menandri et Phil. Reliq.* p. 20. Ceterum Terentius non imprudens detrectasse mihi videtur sapientem hance Menandri sententiam. Conf. infra ad IV, 4, 35.

5. *qui* b D P et correcti V v et plurimi B^c, *qua* ceteri F^c 2 B^c H.

2. *observare*, *ut* libri; sed quum versus subsequens plane importunus sit, ut egregie demonstravit Bentleius: inde particulam *ut* delendam esse consequitur: addidit illam qui ineptum versum tertium interposuit. *observarem, quid* coni. Bentleius; male.

8. *timeo parti* omnes fere F^c et B^c (P) H, *parti timeo* pauci Faerni et Bentleii codices.

9. *tibi erit usquam* B^c H, *usquam tibi erit* (P), *tibi usquam erit* Faernus.

12. *sum verus?* h. e. *nonne verum dixi?* interpretante Ruhnkenio; sed hoc verba *sum verus* significare nullo modo possunt: nam *verus* opponitur *falso*. Sententia est igitur: *sum*

Si. I nunc iam intro; ne in mora, cum opus sit, sies.
Pa. Eo. B. nullane in re esse homini cuiquam fidem?
Verum illud verbumst, volgo quod dici solet,
Omnis sibi malle melius esse, quam alteri.
Ego illam vidi: virginem forma bona
Nemini videre: quo aequior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.
Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

Actus II. Scaena VI.

Davus. Simo.

Da. Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, et ea me hic restitisse gratia.
Si. Quid Davus narrat? D. aeque quicquam nunc quidem.

---

revera is, qui sum? atqui hoc prorsus ineptum est. Quo quum accedat, quod initium versus *(sum verus? — herus)* turpiter ad aures accidit, quodque illud *uxore excidit* vix est Terentianum, totus versus abeat ἐς κόρακας.

13. *iam* in duas syllabas diduxit Bentleius; sed quum inde propter subsequens *intro* sonus ingratus oriatur, equidem particulam *ne* non elidi sed corripi statuo. Conf ad I, 2, 11.

14. *Nullamne H. cuiquam homini* codex Petrensis Bentleii, qui hoc in editionem suam recepit, ne ultima nominis *homini* in arsi poneretur: id enim in medio trimetro haud licere falso opinatur. Conf. *Element. gramm. Latin.* p. 68 — 73.

16. *malle melius esse* V b (P) H, *esse melius malle* ceteri F[c] B[c], *esse bene mavelle* coni. Bentleius.

17. *Ego cum illam* coni. Bentleius.

3. *Quid, Dave, narrat?* coni. Bentleius et ante eum Palmerius *Spicileg.* p. 823. ed. Grut., ut sit sententia, quid Pamphilus de nuptiis narrat s. dicit? Sed servus, quum Pamphilus post antecedentis scaenae v. 14. introiret, in scaena restiterat, ut liquet verbis, *et ea me hic restitisse gratia:* nihil igitur ei Pamphilus narrare potuerat. Simo, qui servum fallaciam iamiam prolaturum exspectat, ex eo quaerit, *quid nunc narret:* itaque verba, *atqui exspectabam quidem* nihil habent offensionis. Ruhnkenius: „*aeque quicquam nunc quidem* i. e. *nihil.* Sic explicandum esse contextus docet. Est autem eliptica loquendi

Sɪ. Nilne? hem. D. nil prorsus. S. atqui expectabam
quidem.
Dᴀ. Praeter spem evenit: sentio: hoc male habet virum.
Sɪ. Potin es mihi verum dicere? D. nihil facilius.
Sɪ. Num illi molestae quippiam hae sunt nuptiae,
Propter huiusce hospitaï consuetudinem?
Dᴀ. Nihil hercle: aut, si adeo, bidui est aut tridui
Haec sollicitudo: nosti: deinde desinet.
Etenim ipsus secum eam rem reputavit via.
Sɪ. Laudo. D. dum licitum est ei, dumque aetas tulit,
Amavit: tum id clam; cavit, ne umquam infamiae
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet:
Nunc uxore opus est: animum ad uxorem adpulit.
Sɪ. Subtristis visust esse aliquantulum mihi.

---

formula, quam ita supplet Perizon. ad Sanct. Min. I. 13. p. 91. *Nunc quidem aeque quicquam narro ac narro tunc, cum nihil narro.*" En tibi mirificam elipsin! *Quicquam* quum nonnisi in enunciatis negantibus adhibeatur, indidem ipsi negandi vis quasi adhaesit. *aegre quicquam* coni. Schopenus l. c. p. 23.; male.

6. D. *ego? nil facilius* coni. Bentleius; sine causa.

7. *haec* ex uno cod. scr. Bentleius.

8. *huiusce hospitae* libri, *hospitaï huiusce* scripsit Bentleius, accentum confundens cum ictu.

9. *bidui aut tridui est* H.

11. *Etenim secum ipse e. r.* 1 B^c^, *Etenim ipsus eam rem secum* 1 B^c^, *Etenim ipsus secum e. r.* ceteri omnes. *rem reputavit* V (P) et veterrimus B^c^, *rem recta reputavit* ceteri. Interpolator qui *recta* interposuit, haesit in locutione *via reputare;* sed ut ante (I, 2, 19.) licuit Terentio dicere, *ut redeat in viam*, ita hoc loco, *via reputare.* Donatum et Eugraphium *recta* non legisse, ut dicit Faernus, ex eorum notis non certo liquet. Bentleius *secum* omisit, *recta* tenuit.

12. *ei* bisyllabum est et prima producitur, quod quoties fit, Bentleius scripsit *eji*: item *reji*, *speji*, si prima producte pronunciatur. Cf. Bentleii *Schediasma de metris Terent.* p. XVI. ed. Lips. Sic fortasse pronunciavit Terentius at non scripsit.

16. *visus est* libri. *esse* om. nonnulli F^c^. *aliquantillum* vanam ob causam coni. Bentleius. *Aliquantillum* vix Latine dicitur: nam ex Plauti Captivis I, 2, 28. quamvis afferatur,

DA. Nihil propter hanc rem: set est, quod suscenset tibi.
SI. Quidnamst? D. puerilest? S. quid est? D. nihil.
S. quin dic, quid est.
DA. Ait nimium parce facere sumptum. S. mene? D. te.
Vix, inquit, drachmis est obsonatus decem:
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, vocabo ad cenam meorum aequalium?
[Potissimum nunc? et, quod dicendum hic siet,]
Tu quoque perparce nimium. non laudo. S. tace.
DA. Commovi. S. ego, istaec recte ut fiant, videro.
Quid hoc est rei? quid hic volt veterator sibi?
Nam si hic mali est quicquam, hem illic est huic rei caput.

Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat — in eo tamen loco *aliquantulum* editiones antiquae et multi libri suppeditant. Conf. Lindemannus ad l. c.

17. *hunc: set* coni. Bentleius.

18. *Quid est? — puerile est. — quidnam est?* 1 B^c, *quid id est? — nil* coni. Bentl.

19. *facere sumptum.* Servolus quasi verecundanter pronomen *te* reticet.

20. *dracmis* H. *est absonatus* (P) H V et nonnulli alii F^c, *est obsonatum* 2 B^c primarii, ceteri *obsonatus est.*

22. *caenam* H, *coenam* (P).

23. Ineptissimum hoc emblema vel furca expellendum est. Nec Donatus hunc versum videtur legisse: nam nugator est non Donatus, qui scripsit istas quisquilias: Meorum aequalium potissimum: aequalium *aetate*, potissimum *dignitate: etenim* potis potior potissimus *facit.* Et quod dicendum hic siet: *bene* hic, *ubi non sit adolescens.*

24. *perparce* libri, recte, ut mihi videtur. Bentleius scripsit *per parce* fretus Prisciani loco p. 1070. (II. p. 52.): *Terentius in Andria* — — pernimium non laudo, per *supervacuum esse videtur, quamvis amplioris significationis causa potest accipi.*

26. *Quid hoc rei est* Faernus, *Quidnam hoc rei est* Lindenbrogius, *Quidnam hoc est rei* H, *Quid hoc est rei* B^c. *Quid hoc reji* scripsit Bentleius.

27. *malist* coni. Bentleius. *huius rei* Priscianus ex Krehlii

Actus III. Scaena I.

Mysis. Simo. Davus. Lesbia. Glycerium.

My. Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia:
Fidelem haut ferme mulieri invenias virum.
Si. Ab Andriast ancilla haec. D. quid narras? S. itast.
My. Set hic Pamphilus. S. quid dicit? M. firmavit fidem.
S. hem.
Da. Utinam aut hic surdus, aut haec muta facta sit.
My. Nam quod peperisset, iussit tolli. S. o Iuppiter!
Quid ego audio? actumst, siquidem haec vera praedicat.
Le. Bonum ingenium narras adulescentis. M. optumum.
Set sequere me intro, ne in mora illi sis. L. sequor.
Da. Quod remedium nunc huic malo inveniam? S. quid hoc?
Adeone est demens? ex peregrina? iam scio, ah
Vix tandem sensi stolidus. D. quid hic sensisse ait?
Si. Haec primum adfertur iam mihi ab hoc fallacia:
Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.
Gl. Iuno Lucina fer opem, serva me, obsecro.
Si. Hui, tam cito? ridiculum: postquam ante ostium
Me audivit stare, adproperat. non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, haec. D. mihin?

---

editione I. p. 554. *illic* pro adverbio accepit Priscianus: pronomen est.

1. *dixisti* 2 B[c]; recepit hanc scripturam Bentleius, ut *res* in arsi poneretur. Conf. ad I, 1, 72. Scholiasta: *Et* dixti *et* dixisti *legitur.*

3. *quid narras* Simoni continuant libri et editiones. *itast* Davo tribuunt libri et editiones. Personas rectius disposuit Bentleius.

5. *Siet* H.

6. *Iupiter* H.

9. *illi* om. H.

12. *se ait* H.

15. *Intus Iuno* H, *Intus*, *Iuno* P et alii codices. *Intus* est παρεπιγραφή.

16. *Huc* H.

Si. Num inmemores discipuli? D. ego quid narres nescio.
Si. Hicine me si inparatum in veris nuptiis
Adortus esset, quos mihi ludos redderet?
Nunc huius periclo fit, ego in portu navigo.

Actus III. Scaena II.

Lesbia obstetrix. Simo. Davus.

Le. Adhuc, Archilis, quae adsolent quaeque oportet
Signa esse ad salutem, omnia huic esse video.
Nunc primum fac istaec ut lavet: post deinde,

---

19. *immemor es* H Faernus et Lindenbrogius. Donatus: *Discipuli Mysis Lesbia et Pamphilus, omnes, per quos agitur fallacia. Bene ergo discipulos imperitos ostendit, et magistrum Davum.* Inde Bentleius recte recepit, *immemores*, quod exhibent (ut videtur) tres libri Leidenses.

20. *Hiccine* H (P). Conf. ad I, 5, 1.

21. *me* coni. Bentleius, qui *ludos reddere alicui* ne Latine quidem dici temere existimat. Conf. Parei lexicon s. v. *Ludos*. Non prorsus idem est *ludos reddere alicui* atque *ludos reddere aliquem*.

1. Versus 1 — 4. numero Bacchiaco decurrere primus indicavit Bentleius ad Cic. Tuscul. III, 9. Idem versum 5. pro dimetro iambico catalectico accepit (qua in re assentientem habet Hermannum *Elementis doctr. metr.* p. 299.), atque v. 6. ut trimetrum dimensus est, quem sequatur tetrameter. Sed unde tanta haec numeri variatio, ubi mutationis nulla apparet causa? Eo accedit quod clausulae iambicae numerum Bacchiacum excipientes satis incertae sunt, neque idoneam causam habent. Quapropter equidem versum 5. ut dimetrum Bacchiacum dimetior, in quo primi pedis anacrusis et arsis secunda soluta est; versum 6. pro tetrametro Bacchiaco accipio, in quo vox ultima bisyllaba profertur. Omnes sex versus faciunt systema, in quo semel admissa est syllaba anceps in fine versus tertii. Trimeter iambicus versus sextus vel propterea esse non potest, quod prima in *ecastor* corripi nequit.

3. *ista* veterrimus B^{c}, *istaec* ceteri omnes. *ut* delevit ad numerum sustentandum Bentleius; sed non est opus: nam secunda in *lavet* corripitur, ita ut tertii pedis numerus hice sit,

⏑ ⏑́⏑ —

Quod iussi ei dari bibere, et quantum imperavi,
Date: mox ego huc revertor.
Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo.
Deos quaeso, ut sit superstes, quandoquidem ipsest ingenio bono;
Cumque huic veritus est optumae adulescenti facere iniuriam.
SI. Vel hoc quis non credat, qui te norit, abs te esse ortum? D. quidnam id est?
SI. Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperae:
Set postquam egressast, illis, quae sunt intus, clamat de via.
O Dave, itan contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate: ut metui videar certe, si resciverim.
DA. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haut ego. S. edixin tibi,
Interminatus sum, ne faceres? num veritu's? quid retulit?
Credon tibi hoc nunc, peperisse hanc e Pamphilo?

---

4. *dari* V D 7 B^c H, *dare* (P) et plures F^c.

5. *revertor* nonnulli F^c plurimi B^c, *revertar* H et peiores B^c et plures F^c.

6. *Perecastor* V et alii antiqui F^c et omnes (praeter unum) B^c (P) Nonius p. 404, 16., *Per ecastor* H, *Percastor* 1 B^c plures F^c. Priscianus p. 987 (I. p. 595.). ex Putschii et Krehlii editionibus suppeditat *Percastor*, sed in duobus codicibus legi *Perecastor* testatur Bentleius. *Percastor* vox est nihili.

8. *est veritus* codex Petrensis, unde recepit Bentleius.

9. *te norit* B^c H et veteres editiones, *norit te* Faernus et Lindenbrogius. Scholiasta: abs te esse natum: *et* ortum *legitur, ut sit instructum commentum compositum.*

13. *Videor tibi* H.

15. *edixi* sublato post *faceres* interrogandi signo coni. Bentleius.

16. *retulit* Faernus Lindenbrogius Bentleius H. Editiones antiquae, ut Tarvisina, *rettulit*. *Rettulit* scribendum erat, si esset tempus perfectum verbi *refero*, et propter versum et aliis de causis. Conf. *Element. gramm. Latin.* p. 27. 137. 138. Sed in *retulit*, quod est ab impersonali *refert*, veteres non videntur duplicasse litteram t.

DA. Teneo, quid erret: et quid agam habeo. S. quid taces?
DA. Quid credas? quasi non tibi renuntiata sint haec, sic fore.
SI. Min? D. eho an tute intellexti hoc adsimularier? S. inrideor.
DA. Renuntiatumst: nam qui istaec tibi incidit suspicio?
SI. Qui? quia te noram. D. quasi tu dicas, factum id consilio meo.
SI. Certe enim scio. D. non satis me pernosti etiam, qualis sim, Simo.
SI. Egone te? D. set, si quid narrare occoepi, continuo dari
Tibi verba censes: falso: itaque hercle nil iam muttire audeo.
SI. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. D. intellexti.
Sed nihilo secius mox deferent puerum huc ante ostium.

---

19. *Qui* H. *siet renunciatum haec sic fore* coni. Bentleius; male.

20. *Mihin quisquam* libri. *quisquam* numerum impedit, neque ad sententiae structuram quadrat, quod sentiens Bentleius coni. *quicquam*. Mihi hoc vocabulum ab interpolatore insertum videtur. *adsimularier* sive *assimularier* plerique F^c, et quidem antiqui: ita etiam H et B^c omnes ut videtur, *assimulari* (P) alii: hoc Bentleius recepit et ad versum sustentandum recipere debuit, quum teneret *quicquam*.

21. *tibi istaec* Priscian. p. 1011. (I. p. 622,); recepit Bentleius.

23. *pernosti me etiam* coni. Bentl.

24. *quid tibi* B^c, *quid* suprascr. *tibi* H. *Ego non te* coni. Bentleius.

25. SI. *falso.* DA. libri omnes et editiones ante Bentleium, *censes falso* dedit Bentleius; augetur elegantia nostra interpungendi ratione.

27. *citius* H. *deferent puerum huc* Faernus et Lindenbrogius, *puerum deferent huc* B^c H. Bentleius versum sic constituit ac dimensus est:

Set nihilo secius mox puerum huc deferent ante ostium.

Id ego iam nunc tibi, renuntio, ere, futurum, ut sis sciens.
Ne tu hoc posterius dicas Davi factum consilio aut dolis.
Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo.
Si. Unde id scis? D. audivi et credo: multa concurrunt simul,
Qui coniecturam hanc nunc facio. iam primum haec se e Pamphilo
Gravidam dixit esse: inventumst falsum. nunc, postquam videt
Nuptias domi apparari, missast ancilla illico
Obstetricem accersitum ad eam, et puerum ut adferret simul.
[Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nil moventur nuptiae.]

Sed hic versus in numerum peccat. Neque causa est, cur numerus in media servi oratione mutetur. Immo statim ab initio graves trochaei requiruntur, quum servus quasi grave quoddam et memorandum narrare Simoni coepit.

28. *tibi ere nuntio* H, *tibi, ere, renuntio* B[c], *tibi renuntio, ere,* Faernus et Lindenbrogius. Bentleius suorum librorum scripturam recepit: nimirum hunc versum tetrametrum iambicum esse opinabatur. Corruptela, quae inest Bentleii libris et codici Halensi ita orta est, ut librarius post vocem *tibi* continuo vocativum *ere* ponendum putaret.

29. *hoc mihi posterius* sive *mihi hoc p.* libri. *mihi*, quod versum turbat, recte delevit Bentleius, quem hic non sequi piaculum fuerit: nam *mihi* non solum propter versum sed etiam propter sequens *Davi* plane intolerandum est. Ceterum Bentleius etiam hunc versum numero iambico astrinxit, ego trochaico: nam sic qui sequitur tetrameter trochaicus, quemque Bentleius quoque agnoscit, caret miratione. *Davi* est Monosyllabum.

30. *hanc* om. H.

32. *prius* H. *a Pamphilo* H.

33. *inventumst* (P), *inventum est* H et editiones.

34. *ilico* H et editiones.

36. *tu* om. codex collegii corporis Christi, quo usus est Bentleius: is, ut versus immodulatus gratior prodiret, ex coniectura scripsit, *Hoc ni fit, tu puerum ut videas;* sed inutilis erat emendandi labor: nam vide mihi cetera. Verbum *moventur* Donatus sive Scholiasta explicat per *non perturbantur nu-*

SI. Quid ais? cum intellexeras
Id consilium capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
DA. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, quam misere hanc amarit. nunc sibi uxorem expetit.
Postremo id mihi da negoti: tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis: et id spero adiuturos deos.
SI. Immo abi intro: ibi me opperire, et, quod parato opus est, para.
Non inpulit me, haec nunc omnino ut crederem:
Atque haut scio, an quae dixit sint vera omnia:
Set parvi pendo: illud mi multo maxumumst,
Quod mihi pollicitust ipse gnatus. nunc Chremen
Conveniam: orabo gnato uxorem: id si impetro,

---

ptiae, non differuntur. Paulo melius Ruhnkenius: *nihil eorum, quae ad nuptias pertinent, mutatur.* At vero num servus delato puero futurum esse, ut nuptiae moverentur, domino iracundo significare ausurus erat? Offendit praeterea ipsum tempus et modus. Exspectares *moventor* sive *moveantur.* Neque aptum erat, ut post finitam servi narrationem senis in summam indignationem erumpentis interrogatio otioso hoc emblemate detineretur.

37. Bentleius: „Debet esse dimeter Iambicus acatalectus, ut doceo in Prolegomenis. Lege igitur,

Quid ais? ubi *intellexeras.*"

Sane debebat esse dimeter iambicus, si hoc versu antecedentis numerus continuaretur, sed sententia ipsa ostendit eum pertinere ad sequentem, h. e. non esse clausulam sive epodum, sed proodum. Hic quidem versus desinit in arsin et subsequens ab ea incipit, sed catalexi thesis unius morae suppletur. Bentleii coniecturam improbavit etiam Hermannus *Elem. d. m.* pag. 184.

38. *consilium* B[c] praeter unum omnes et H, *consilii* Faernus et Lindenbrogius. Conf. Bentleius ad h. l. et praecipue ad Andr. II, 1, 20.

40. *miserae hanc amavit* H, *hanc quam misere* coni. Bentleius.

41. *id da mihi* coni. Bentleius.

42. *adiutores* recentes F[c] 1 B[v] H.

48. Bentleius ex quattuor Prisciani, citantis hunc locum p.

Quid alias malim, quam hodie, has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitust, haut dubiumst mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam.

ACTUS III. SCAENA III.

SIMO. CHREMES senex.

SI. Iubeo Chremetem. CH. o, te ipsum quaerebam. S. et ego te. CH. optato advenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viso, tun an illi insaniant.
S. Ausculta: paucis et quid ego te velim et tu quod quaeris scies.

CH.

1143. (II. p. 141.), codicibus scripsit *si id impetro*. Sed Krehlius dedit *si impetro:* is igitur nihil varietatis in libris suis invenit, aut referre inde (ut saepe) neglexit.

49. *quando alias* Acron ad Horatii Serm. I, 4, 63. Recepit Bentleius, qui de hoc loco argutius disputavit. Sed vulgatam non solum omnes tuentur codices, sed etiam Charisius p. 175. et Priscianus l. c. *has* om. H.

50. *dubium est id* H.

52. *in* om. H. *obviam Chremen* codex Rivii et nonnulli F[c], ceteri omnes *Chremen* omittunt. Scholiasta (Donatus?): *Continuo mutavit declinationem, ut* iubeo Chremetem. Legit igitur *obviam Chremen*. *Chremen* glossema est satis manifestum. Nam quod Bentleius dicit, nisi Chremetis nomen hic ponatur, *ipsum* necessario accipi de Pamphilo, non de Chremete, ea ambiguitas in ipsa scaena non poterat accidere. Bentleius *obviam* delevit, *Chremen* tenuit.

2. *adiere* Faernus et Lindenbrogius: eos hoc ex libris suis dedisse admodum verisimile mihi videtur propterea, quod in antiquioribus editionibus legitur *adierunt*, id quod exhibent etiam B[c] et H et Nonius p. 237, 36. Inde recepit Bentleius, et invitis codicibus scripsit *aibant*. Quod dicit idem, recepto *adiere* claudicare versum, id tum demum verum est, si cum ipso contra librorum fidem legerimus *aibant*, non *aiebant*. Simili ratione Bentleius saepius imposuit lectoribus.

4. *paucis* libri omnes. Priscianus p. 1167. (II. p. 177.):

CH. Ausculto: loquere quid velis.
SI. Per ego te deos oro, et nostram amicitiam, Chreme,
Quae incepta a parvis cum aetate adcrevit simul,
Perque unicam gnatam tuam et gnatum meum,
Cuius tibi potestas summa servandi datur,
Ut me adiuves in hac re: atque ita ut nuptiae
Fuerant futurae, fiant. C. ah ne me obsecra:

Terentius in Andria — —: Ausculta pauca: et quid ego te velim et tu quod quaeris scies. *Nec enim aliter stat iambus, qui est quaternarius, quod Donati commentum approbat.* Idem p. 1186 (II. p. 214.): *Terentius in Andria — —:* Ausculta pauca: et quid ego te velim et tu quod quaeris scies. *Sic enim habent antiqui codices teste Donato commentatore eius.* Donatus: Paucis: *et* paucis *et* pauca *legitur.* Discas hinc, quae fides habenda sit Prisciano ad *antiquos codices* provocanti: nam antiquos hic dicit, quibus usus est Donatus. Priscianus autem ac nonnulli alii grammatici priores *pauca* legebant, quia genuina scriptura, quae est *paucis*, numerum turbari opinabantur. Sed hoc secus est. Quintum pedem, *te velim et* ita recites: —⏑⏑. *Ausculta pauca* vix est Latinum, certe haud Terentianum. Conf. Adelph. V, 3, 20. Bentleius hunc versum sic constituit:

Ausculta: paucis et quid te ego velim et quod tu quaeris scies.

quod tu H.

6. *ego* om. antiqui fere F^c (P), agnoscunt 5 B^c H. Omisso hoc pronomine inepta exsistit sententia, *per tuam fidem deos oro:* nam praepositio, si nihil interpositum est, ad proximum accusativum refertur: itaque linguae ratio *ego* requirit, itidem ut infra V, 1, 15. Conf. Livius XXIII, 9. *Per ego te, fili, quaecunque iura liberos iungunt parentibus, precor quaesoque.* In hoc loco praepositionem referri ad *quaecunque iura* sine interposito illo *ego* nemo intellecturus erat. Bentl. coni. *Per te ego;* male. *ego* est monosyllabum.

8. Miror hunc versum a Bentleio haud correctum sive immutatum esse; nam is quamvis sanissimus ex Bentleii tamen doctrina tolerari plane nequit.

10. *re* corripitur, non eliditur. Cf. ad I, 2, 11. *ut* ante *nuptiae* unam moram explet. Bentleius ex uno codice scripsit *uti.*

Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me atque olim, cum dabam?
Si in remst utrique ut fiant, adcersi iube.
Set si ex ea re plus malist quam commodi
Utrique, id te oro, in commune ut consulas,
Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.
SI. Immo ita volo itaque postulo ut fiat, Chreme:
Neque postulem abs te, ni ipsa res moneat. C. quid est?
SI. Irae sunt inter Glycerium et gnatum. C. audio.
SI. Ita magnae, ut sperem posse avelli. C. fabulae.
SI. Profecto sic est. C. sic hercle, ut dicam tibi:
Amantium irae amoris integratiost.
SI. Hem, id te oro, ut ante eamus. dum tempus datur,
Dumque eius lubido occlusast contumeliis,
Prius quam harum scelera et lacrumae confictae dolis
Reducunt animum aegrotum ad misericordiam,
Uxorem demus. spero consuetudine et
Coniugio liberali devinctum, Chreme,
Dein facile ex illis sese emersurum malis.
CH. Tibi ita hoc videtur: at ego non posse arbitror

---

16. Ultima in verbo *oro* corripitur, ut *re* in versu 10. Bentleius ex uno libro Petrensi dedit *id oro te*, sed Terentianum est *id te oro*. Conf. infra v. 24. Ignoratae prosodiae ratio ingentem corruptelarum atque interpolationum molem procreavit, qua in re feliciter accidit, ut meliores et antiquiores Terentii libri ab eiusmodi mendis immunes plerumque permanserint.

17. *Pamphiloque* 1 B^c.

19. *nisi* vulgo, *ni* ex quinque codicibus dedit Bentleius.

21. *sperem* om. H.

23. *integratiost* s. *integratio est* antiqui et nonnulli recentiores F^c et B^c et (P) H, *redintegratio est* Servius ad Virgil. Eclog. II, 14. Acron ad Horatii Carm. III, 9., *reintegratio est* Charisius p. 98., *integratio*. S. *hem* coni. Bentleius.

27. *reducunt* antiqui F^c et omnes B^c et (P), *reducant* H cum aliis. Male scripsit Bentleius *redducunt*.

29. *Chremes* P.

30. *Dein* V cum aliquot aliis F^c et B^c P H, alii F^c *Dehinc*.

Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
SI. Qui scis ergo istuc, nisi periclum feceris?
CH. At istuc periclum in filia fieri grave est.
SI. Nempe incommoditas denique huc omnis redit,
Si eveniat, quod Di prohibeant, discessio.
At si corrigitur, quot commoditates vide:
Principio amico filium restitueris:
Tibi generum firmum et filiae invenies virum.
CH. Quid istic? si ita istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
SI. Merito te semper maxumi feci, Chreme.
CH. Set quid ais? S. quid? C. qui scis eos nunc discordare inter se?
SI. Ipsus mihi Davos, qui intumust eorum consiliis, dixit:
Et is mihi suadet, nuptias quantum queam ut maturem.
Num censes faceret, filium nisi sciret eadem haec velle?
Tute adeo, iam eius audies verba. heus, evocate huc Davom.
Atque eccum: video ipsum foras exire.

---

33. Bentleius: „Non procedit oratio, *Qui scis, nisi feceris:* immo, *Qui scias, nisi feceris.*" Bentleius igitur *feceris* pro coniunctivo accepit; falso.

37. *corrigitur* antiqui B^c (F^c) (P), *corrigetur* H, *corrigatur* sive *corrigetur* recentiores B^c.

38. *amicum* H.

39. *invenies* (F^c) (P) H, *invenias* antiquiores B^c. Temere posterius recepit Bentleius.

41. *in me* h. e. pro mea virili parte, quantum in me est. *intercludier* coni. Bentleius.

42. *maxume* H.

45. *persuadet* H.

47. *verba audies* 1 F^c et Lindenbrogius, *audies verba* ceteri. Prius recepit Bentleius, altera verborum collocatione impediri numerum existimans cum Faerno. Sed numerus procedit, si pronunciaveris *audjes* βισυλλάβως.

48. *ipsum* om. P H.

Actus III. Scaena IV.

Davus. Simo. Chremes.

Da. Ad te ibam. S. quidnam est?
Da. Cur non adcersitur? iam advesperascit. S. audin tu illum?
Ego dudum non nil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem,
Quod volgus servorum solet, dolis ut me deluderes:
Propterea quod amat filius. D. egon istuc facerem? S. credidi:
Idque adeo metuens vos cælavi, quod nunc dicam. D. quid? S. scies:
Nam propemodum habeo tibi iam fidem. D. tandem cognosti qui siem.
Non fuerant nuptiae futurae. D. quid? non? S. set ea gratia
Simulavi, vos ut pertemptarem. D. quid ais? S. sic res est. D. vide,

---

2. *Cur uxor non* F^c B^c (P) H, *uxor* om. Westerhovii codices Leidenses omnes, ut videtur. Si tenetur, versus iustam mensuram excurrit: nam quem fingunt grammatici versum tetrametrum hypercatalecticum, is est nullus et nusquam. Bentleius ad numerum sustentandum verba *tu illum* delevit, sed magis liquet, quomodo *uxor* quam *tu illum* ab interpolatore adiici potuerit. Nimirum is offendebat in verbo *adcersi* obsolute posito: quanquam hoc est Terentianum. Conf. quod est supra III, 3, 14.

Si in remst utrique ut fiant, adcersi iube.

ultima in voce *adcersitur* producte pronunciatur.

3. Bentleius ex uno codice scripsit: *sum abs te, Dave.*

5. *ego* perpauci F^c.

7. *tibi iam* F^c (P) H, *tibi* omittit unus Bentleii codex veterrimus, quem ipse sequitur, voce *tibi* existimans deformari versum. Id secus est; verba *iam fidem* unum efficiunt tribrachum. Quod Bentleius de accentu vocis *tandem* dicit falsum est. Conf. *Element. gramm. Latin.* p. 54. not. 22.

Numquam istuc quivi ego intellegere. vah consilium callidum.

Si. Hoc audi. ut hinc te introire iussi, opportune hic fit mi obviam. D. hem,

Numnam perimus? S. narro huic, quae tu dudum narrasti mihi.

Da. Quidnam audio? S. gnatam ut det oro, vixque id exoro. D. occidi.

Si. Hem, quid dixti? D. optume inquam factum. S. nunc per hunc nullast mora.

Ch. Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuntio.

Si. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mi effecisti has nuptias.

---

10. *istuc quivi ego* F[c] (P) H atque plurimi B[c], *ego istuc quivi* 2 B[c], *istuc ego quivi* 1 B[c]. Postremum vanam ob caussam placuit Bentleio.

12. *perimus* antiqui F[c] H, *periimus* (P), alii.

13. *audio* libri omnes. Donatus: *Legitur et* audiam: *Menander enim sic ait:* τί δῆτ᾽ ἀκούσω. Varietas scripturae a Donato observata unde orta sit liquet, quippe a grammaticis, qui Terentii verba nimium severe ad Menandrea exigebant. Conf. Donatus ad Eunuch. I, 1, 1. Vehementer erravit Bentleius, dum scribit: „unica haec *(audiam)* et vera lectio est, futuro tempore non praesenti.“ Ne Menander quidem futuro tempore est usus. Conf. Meineke ad *Menandri Reliq.* p. 20. Schaefer *Meletematis* p. 128., ad Gregor. Cor. p. 1063., Appar. Demosth. t. II. p. 232. Servus postquam a Simone audiit, hunc narrasse Chremeti iras et discordiam esse inter Pamphilum et Glycerium, id quidem multum valere posse ad Chremetem reconciliandum sentiens, ac propterea commotus dicit *quid audio?* Ita evanescit de sententia dubitatio, quam movit Bentleius. *is gnatam* H.

14. *dixisti* unus Bentleii liber primariae notae: Bentleius hanc scripturam recepit et interiectionem *Hem* antecedenti versui adiunxit. De sententia acute Donatus: Occidi, Optime: *bene usus est* παρομοίῳ, occidi *et* optime, *ut similitudine falleret audientem.*

15. *apparetur* coni. Bentleius.

DA. Ego vero solus? S. corrigere mi gnatum porro enitere.
DA. Faciam hercle sedulo. S. potes nunc, dum animus inritatus est.
DA. Quiescas. S. age igitur, ubi nunc est ipsus? D. mirum, ni domi est.
SI. Ibo ad eum: atque eadem haec, quae tibi dixi, dicam itidem illi. D. nullus sum.
Quid causae est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?
Nihil est preci loci relictum; iam perturbavi omnia:
Erum fefelli: in nuptias conieci erilem filium;
Feci hodie ut fierent, insperante hoc, atque invito Pamphilo. hem
Astutias: quod si quiessem, nihil evenisset mali.
Set eccum video ipsum: occidi.
Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me praecipitem darem.

ACTUS III. SCAENA V.

PAMPHILUS. DAVUS.

PA. Ubi illic est scelus, qui me perdidit? D. perii. P. atque hoc confiteor iure
Mi obtigisse; quandoquidem tam iners, tam nulli consili sum:

---

17. *corrige* H.

20. *quae dixi tibi* 1 B[c], *tibi quae dixi* coni. Bentleius, ut *tibi* et *illi* in arsi ponerentur. Conf. ad I, 1, 72. *dicam idem illi* P.

25. *astutia* P H.

1. *est scelus* multi F[c] multi B[c] (P) H Donatus, *scelus est* nonnulli F[c]. *hodie perdidit* multi B[c]. *hodie* glossema est. Bentleius tamen id tenuit et versum sic scripsit:

ubi illic est? scelus, qui me hodie. perii. atque hoc confiteor iure

2. *mihi* libri, *mi* Bentleius. *nullius* H. Donatus: *Una pars orationis est* nulli consilii: *nos* nullius *et* solius: *recte autem veteres* nullo nulli, solo soli. Licuit veteribus praeter formas *nullius* et *solius* uti *nulli* et *soli:* nam illi quum

Servon fortunas meas me commisisse futili?
Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum numquam id auferet.
DA. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si devito hoc malum.
PA. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon velle me, modo
Qui sum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?
[Nec, quid me nunc faciam, scio. D. nec quidem me, atque id ago sedulo.]

---

ad litteram S in verborum finibus abiiciendam inclinarent, ex *nulliu* et *soliu* contractione admissa fecerunt *nulli* et *soli*.

4. *ego* 1 B^c^, unde recepit Bentleius, *id numquam* H et Faernus, *numquam id* (P) et codices Leidenses, si ex Westerhovii (qui hoc dedit) silentio fides. Genuinum videtur, quamvis hiatum qui est in altera scriptura admitti posse haud praefracte negaverim. *id numquam a me* 1 B^c^, sed id ne Latinum quidem est: nam *auferre ab aliquo* nonnisi de rebus quae manibus feruntur dici potest. Nihilominus hanc scripturam recepit Bentleius.

5. *hoc devito* 2 B^c^ (P). Tanquam concinnius recepit Bentleius: immo vulgatum est concinnius. Donatus: *Menander sic:* ἂν θεὸς φεύγει οὐκ ἀναπολυμκκε, *et est sensus, tam difficile est hinc evadere, ut qui hinc evaserit, videatur immortalis futurus.* Ita scriptum dederunt Lindenbrogius et Westerhovius. Iacobsius apud Meinekium l. l. p. 21. corrigit: φεύγοι .... οὐκ ἂν ἀπ' Ὀλύμπου θεός. Casaubonus: Ἔνθεν ἀποφεύγων (ἐνθένδ' ἀποφυγὼν rectius Meinekius in Addendis ad Menandr.) οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ.

6. *Nam quid* B^c^ (P) H et antiqui F^c^, *Sed quid* ceteri F^c^.

7. *pollicitus sum* cod. Lips. ab Hermanno inspectus: cf. *Elem. doctr. metr.* p. 162.

8. DA. *nec quidem me* B^c^ (ut videtur) (P) H Faernus, *nec quid de me* utrobique cod. Mark. a Westerhovio memoratus et ed. Venet. 1490., *Nec quid de me* et *nec de me aequidem* ed. Tarvis. 1474. Sententia otiosa est: *nunc* offendit: *quidem* vix aptum est. Guyetus et Bentleius in Davi oratione *nec quid me* ex coniectura dederunt; Hermannus in dissert. de R. Bentleio (Opuscul. tom. II. p. 285.) ex uno libro Lips. scripsit:

DA. Dicam aliquid me inventurum, ut huic malo aliquam producam moram. P. ohe.
DA. visus sum. P. ehodum, bone vir, quid ais? videsne me tuis consiliis
Miserum inpeditum esse? D. at iam expediam. P. expedies? D. certe Pamphile.
PA. Nempe ut modo. D. immo melius spero. P. oh, tibi ego ut credam, furcifer?
Tu rem inpeditam et perditam restituas? hem quo fretus sim,
Qui me hodie ex tranquillissima re coniecisti in nuptias.
Annon dixi esse hoc futurum? D. dixti. P. quid meritu's? D. crucem.
Set sine paululum ad me redeam: iam aliquid dispiciam. P. ei mihi,
Cum non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo:
Namque hoc tempus praecavere mihi me, haut te ulcisci sinit.

Nec quid nunc me faciam scio. DA. *nec me quidem, atque id ago sedulo.*

Non mirandum tantopere variare libros et editiones: nam ad hasce perpoliendas quisquilias librarii certatim convolavere.

9. *me inventurum* V b P et duo veterrimi B^c, *iam me inv.* nonnulli F^c, *me iam inv.* plures B^c et H.

10. *Ohe* F^c et plerique B^c (P), *Heo* et *heodum* H. Bentleius duabus admissis coniecturis scripsit:

PA. *Oh.* D. *visus sum.* P. *ehodum, bone vir, quid agis? viden me consiliis tuis*

agis nonnisi in 2 B^c legitur. Ego versum ita restitui, ut *ohe,* quod una syllaba proferendum est, versui antecedenti applicarem, et *videsne* scriberem pro *viden.* Secundum hanc scripturam *consiliis* est trisyllabum, *tuis* monosyllabum.

13. *siem* libri, *sim* Bentleius.

15. *esse hoc* plerique omnes B^c H, *hoc esse* Faernus et Lindenbrogius. *meritus* (h. e. meritu's) antiquiores F^c meliores B^c (P) H, *meritus es* ceteri.

17. *Cur* 1 B^c.

18. Bentleius in notissimo zeugmate haerens *monet* pro *sinit* ex coniectura scripsit. Idem coniecerat ante Bentleium Palmerius *Spicilegio* p. 837. Conf. Schopenus l. c. pag. 22.

ACTUS IV. SCAENA I.

CHARINUS. PAMPHILUS. DAVUS.

CH. Hocine est crédibile, aut memorábile,
Tánta vecórdia innáta cuiquam út siet,
U't malis gaúdeant, átque ex incómmodis
A'lteriús sua ut cómparent cómmoda? ah
I'dne est verum? immo id est génus hominum péssumum, in
Dénegandó modo quis pudor paúlulum adest:
Póst ubi tempus promissa iam pérfici,

1. *Hocine est* Faerni et Bentleii codices omnes, *Hocin est* Lindenbrogius, unde eiusmodi voces etiam in praeclaro libro Parisino semper scribi simplici littera c coniicio, quamvis aliis locis duplicem dederit Lindenbrogius; *Hoccine est* H et Priscianus p. 948 (I. p. 554.). A Prisciano hoc loco sibi imponi passus est Bentleius, qui ceteris in locis veram semper scripturam dedit. Conf. ad Andr. I, 5. 1. Verbum *est* vetus Prisciani codex a Bentleio visus inter lineas scriptum habet. Prima in *Hocine* producitur, *est* corripitur. *Hoccine credibile* scripsit Bentleius. Versus est tetrameter dactylicus, qui excipitur a creticis.

2. Versus 2 — 11 efficiunt systema creticorum, qui continuato numero decurrunt: numerum enim continuari quum summus totius orationis motus tum quattuor ostendunt indicia, primum, quod in fine v. 9. syllaba in vocalem desinens hiatu conficitur altero versu a vocali incipiente, secundum, quod in fine v. 6. ultima longa soluta est *(paúlulum adést)*, tertium, quod v. 5. exit in praepositionem *in* quamvis antecedente interpunctione, quartum, quod in fine dimetrorum ne semel quidem admissa est anceps syllaba: nam in fine v. 2. ultima vocis *siet* arsi apte potest produci.

3. *gaudeant* et v. 4. *comparent* V. b 1 B[c] Lactantius ad Statii Theb. II. p. 64. Nonius p. 256, 12., *gaudeat* et *comparet* ceteri. *gaudeat alienis* H. In voc. *alterius* secunda a fine producitur.

5. *pessimum hominum genus* 2 recentiores B[c].

6. *paulum* unus codex Petrensis: hoc fortasse non est librarii vitium, sed a metrico profectum, qui secundam verbi *adest* corripi nesciebat. Recepit *paulum* Bentleius.

7. *tempus est* recentiores nonnulli F[c] et (P). Ultima in

Tum coacti necessario se aperiunt:
Et timent, et tamen res premit denegare:
Ibi tum eorum inpudentissima oratio est,
Quis tu es? quis mihi es?
Cur meam tibi? heus, proxumus sum egomet mihi.
Attamen, ubi fides, si roges, nil pudet hic,
Ubi opust: illic, ubi nil opust, ibi verentur.
Set quid agam? adeamne ad eum, et cum eo iniuriam hanc expostulem?
Ingeram mala multa? atque aliquis dicat, Nil promoveris:

---

ubi, itidem in antecedente voc. *modo* arsis ope producitur. Conf. *Element. grammaticae Lat.* p. 145.

9. *et tamen eos res premit* v, *et tamen res premit* P H: *et tamen res cogit* ceteri. Inepta ad hunc locum scripsit Westerhovius.

11. *tu* corripitur, non eliditur. Conf. ad I, 2, 11. Hermannus *Elementis doctrinae metr.* p. 209. non satis apte hunc versum pro trochaico accepit: est creticus monometer. Qui sequitur duobus ordinibus trochaicis constat, quorum prior tripodia est catalectica, alter tettrapodia catalectica,

‒́ ⏑ – ⏑ – ‒́ ⏑ ⏑⏑ ⏑ – ⏑ ‒́

Hermannus l. c. duo versus ex hoc uno fecit, ita ut prior desinat in *heus*. Bentleius librorum scriptura audacter mutata dedit tetrametros creticos hosce:

Quis tu homo es? quis mihi es? cur ego meam tibi? heus,
Proxumus sum egomet mi. attamen ubi fides,
Si roges, nil pudent hic, ubi opust: illic ubi
Nil opust, ibi verentur.

Sed in his praeter audaciam quum alia displicent, tum clausula illa iambica, *ibi verentur*. Conf. Hermannus l. c. p. 208.

13. Hunc versum et sequentem Bacchiacos esse indicavit Hermannus l. c. p. 209. *pudent* coni. Bentleius, *non pudent* dedit Hermannus, nescio, utrum errore, an ex codice Lipsiensi. Ultima in verbo *pudet* arsi producitur.

14. Post verba *ubi opust* in plurimis libris legitur *non verentur*, sed recte ea verba om. P et veterrimus B[c], *verentur* om. etiam H.

16. Num *atqui?*

17. *multum ei molestus certe fuero* 1 B[c]. *in animo* H.

Multum. Molestus certe ei fuero, atque animo morem gessero.
PA. Charine, et me et te inprudens, nisi quid Di respiciunt, perdidi.
CH. Itane inprudens? tandem inventast causa. solvisti fidem.
PA. Quid tandem? C. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas?
PA. Quid istuc est? C. postquam me amare dixi, complacitast tibi.
Heu me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo.
PA. Falsus es. C. nonne tibi satis esse hoc visum solidumst gaudium;
Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?
Habeas. P. habeam? ah nescis quantis in malis verser miser;
Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines
Meus carnufex. C. quid istuc tam mirumst, de te si exemplum capit?
PA. Haut istuc dicas, si cognoris vel me vel amorem meum.

Nil? pro *Multum* ex coniectura dedit Bentleius, ut versus fieret trochaicus, qui vulgo pro iambico accipitur. Sane mutandi numeri nondum adest causa, sed versus quamvis servata optimorum librorum scriptura numero trochaico apte potest includi. Primus pes est *Multŭm mo* —.

20. *seducere* recentiores F[c] et H. *Quid ita tandem? C. etiam me dictis ducere istis p.* coniecit Bentleius, ut ne *tandem* in versu 19. in arsi et 20. in thesi poneretur. Conf. nota ad I, 5, 1. in fine.

22. Donatus sive Scholiasta: *Legitur et* cum tuum.

23. *solidum est visum* 2 B[c]. Versum inconcinnum et impeditum appellat Bentleius: mihi secus videtur: *est* a verbo suo seiunctum est, ne duo vocabula continua in litteram mugientem desinerent: prima in *esse* et verbum *es* quamvis sequente consonante corripitur. Bentleius suo iudicio scripsit, *non satis tibi esse hoc solidum visumst g.*

26. Scholiasta: *Legitur et* conflavit.

27. *mirum* Eugraphius, unde recepit Bentleius.

Ch. Scio: cum patre altercasti dudum: et is nunc propterea tibi
Suscenset: nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
Pa. Immo etiam, quo tu minus scis aerumnas meas,
Hae nuptiae non adparabantur mihi:
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
Ch. Scio: tu coactus tua voluntate es. **P.** mane:
Nondum scis. **C.** scio equidem illam ducturum esse te.
Pa. Cur me enicas? hoc audi. numquam destitit
Instare, ut dicerem me esse ducturum patri;
Suadere orare usque adeo, donec perpulit.
Ch. Quis homo istuc? **P.** Davos. **C.** Davos? **P.** interturbat. **C.** quamobrem? **P.** nescio,

---

32. *Hae* libri omnes. Scholiasta: *Legitur et* Haec nuptiae: *sic enim veteres dixerunt.* Veteres dixerunt *hae* et *haece* et *haec*, et quidem *haece* sive *haec* si praecipua quaedam vis in pronomine esset; quae quum in hoc loco desit, nulla est causa, cur formam antiquam in hunc versum cum Bentleio inferamus.

35. *Nondum etiam scis* codex Palatinus sive Romanus apud Georgium Fabricium: recepit hoc Bentleius et pronomen *illam* omisit.

36. *enecas* H.

37. Faernus et Bentleius hunc versum iusto longiorem esse opinati sunt, quam ob causam prior pronomen *me* alter verbum *esse* deleri volebat. Ultima in *dicerem* corripitur quamvis sequente consonante: itaque versus iustam mensuram non egreditur. Quod Bentleius dicit, verbum *ducerem* acuere ultimam syllabam falsum est: neque pronomen *me* est encliticum.

39. P. *Davus interturbat* H, P. *Davos omnia* 2 codices Leidens. apud Westerhovium, P. *Davos interturbat omnia* cod. Bodl. ab eodem Westerh. memoratus, P. *interturbat* Faernus et Lindenbrogius, qui hoc sive ex omnibus sive ex optimis codicibus suis videntur dedisse. Sic quoque legit Donatus: interturbat: *deerat et hic, ut* Davus *diceret* (num: deerat, ut et hic D. d.?), *sed plus intulit*, interturbat. Numerus mutatur, ut magna Charini miratio melius exprimatur. *interturbat* gravius est quam *interturbavit.* Bentleius sine causa offensus est hoc verbi tempore et in numeri mutatione: scripsit, C. *Da-*

Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos, qui auscultaverim.
Ch. Factum hoc est Dave? D. factum. C. hem, quid ais scelus?
At tibi Di dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, si omnes hunc coniectum in nuptias
Inimici vellent; quod, nisi hoc, consilium darent?
Da. Deceptus sum, at non defetigatus. C. scio.
Da. Hac non successit, alia adgrediemur via.
Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse iam ad salutem converti hoc malum.
Pa. Immo etiam: nam satis credo, si advigilaveris,
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
Da. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus pedibus noctisque et dies:
Capitis periclum adire, dum prosim tibi:
Tuumst, si quid praeter spem evenit, mi ignoscere.
Parum succedit quod ago: at facio sedulo.

---

vos? quamobrom? P. *nescio*, ita ut versus trimeter fieret, ut antecedentes.

40. *scio* om. 3 B^c. *qui ei* (P). *satis scio* omisit Bentleius, ut trimeter evaderet.

41. *Factum hoc est* omnes antiquiores F^c et (P), *Factum est hoc* antiquiores B^c et H. D. *factum est* unus cod. Petrensis. *hoc* producitur, ut saepe, quod qui ignoraret scripsit, *Factum est hoc*. Hiatus post *factum* in Davi responsione admissus: et interpunctione et personae mutatione excusatur; qua in re quum offenderet imperitus codicis Petrensis interpolator, scripsit *factum est*. Bentleius utramque interpolationem recepit. *ho scelus* H.

44. *quidni hoc* coni. Bentleius.

45. *delassatus* Lindenbrogii codices.

46. Scholiasta: Alia aggrediemur via, *vel* adoriemur, *id est* enitemur. Adoriri *proprie dicitur repente ex insidiis aliquem invadere*.

47. *nisi si* coni. Bentleius.

48. *Non iam ad salutem posse* coni. Bentleius.

54. *mihi* codices.

55. *successit* nonnulli recentiores F^c. ceteri omnes *succedit*.

Vel melius tute reperi, me missum face.

PA. Cupio: restitue quem a me accepisti locum.

DA. Faciam. P. at iam hoc opust. D. hem! set mane; concrepuit a Glycerio ostium.

PA. Nihil ad te. D. quaero. P. hem, nuncine demum? D. at iam hoc tibi inventum dabo.

ACTUS IV. SCAENA II.

MYSIS. PAMPHILUS. CHARINUS. DAVUS.

MY. Iam, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum

Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.

PA. Mysis, quid est? M. hem! Pamphile, opportune te mihi offers.

---

56. *tute aliud* plerique Bentleii et Faerni codices; *aliud* recte om. v cum nonnullis aliis Faerni codicibus libroque Parisino, si ex Lindenbrogii silentio fides. *aliud repperi* H.

58. *opus est* libri. Ceterum hunce versum sanissimum inutilibus coniecturis sollicitavere Muretus et Bentleius: prior scripsit *st* pro *sed*, alter D. *set concrepuit hinc a. G. o.* Lindenbrogius Mureti scripturam dedit, sed quovis pignore contendam eam non inveniri in libro Parisino.

59. *nuncne* 1 B[c], unde recepit Bentleius. *nuncine* est *nunce* et *ne*. Quemadmodum ex *tum* adiecto *ce* simulque decurtato ortum est *tunc*, sic ex *num* et *ce* natum est *nunce* et *nunc*. Plane barbarum est *nunccine*, quod vitium non in libris, qui quidem alicuius sunt pretii, sed in multis editionibus invenitur.

2. *modo tu* coni. Bentleius. Ultima in nomine *Pamphilum* brevis est, quamvis sequatur littera consona.

3. PA. *Mysis, quid est* V cum nonnullis aliis F[c] et (P), PA. *Mysis.* M. *quid est* ceteri, *quis est* 1 B[c], unde hoc recepit Bentleius. *te mihi* plures F[c] (P), *mihi te* H, alii. *optume te mihi* (vel *mihi te*) *offers.* P. *quid est* codices. Ego, quia versus aliter iusto numero includi non poterat, recepi palmariam Bentleii emendationem, qui ad eam commendandam haec annotavit: „*Optume* et *opportune* non semel permutantur, tam apud Nostrum, quam Plautum: quippe in scriptis vix differunt, *optune*, et *optume*. Ceterum illud *quid est* olim a correctoribus venit

My. Oráre iussit, si se ames, erá, iám ut ad se vénias:
Vidére ait te cúpere. P. vah, perii: hóc malum integráscit.
Sícine me atque illam operá tua nunc míseros sollicitárier?
Nam idcírco adcersor, núptias quod mi ádparari sénsit.
Ch. Quibus quídem quam facile pótuerat quiésci, si hic quiésset.
Da. Age, si hic non insanít satis sua spónte, instiga. M. atque édepol
Ea rés est: proptereáque nunc miséra in moerore est. P. Mýsis,
Per omnís tibi adiuró deos numquam eám me desertúrum;
Non, si capiúndos mihi sciam esse inimícos omnis hómines.
Hanc mi éxpetivi, cóntigit: convéniunt mores: váleant,
Qui intér nos discidiúm volúnt: hanc, nísi mors, mi adímet némo.
Ch. Resipísco. P. non Apóllinis magís vérum atque hoc respónsum est.

(scilicet sumebatur ex initio versus) ad supplendum versum; postquam *optume* coeptum est legi pro *opportune*." Ceterae Bentleii lectiones, *ehem* videlicet, quod ex coniectura, et *quis est*, quod ex uno codice dedit, removendae erant.

4. *sese* utrobique H, *se* utrobique Faernus et Lindenbrogius, *sese* secundo loco Bentleius, qui vereor, ne hoc ex libris suis sumpserit. Itaque *se* teneo et secundam in nomine *era* arsi produci statuo.

6. *illum* H. Recita *sollicitarier. sollicitari* coni. Bentleius probante Hermanno *Elem. d. m.* p. 157. *Siccine* barbare scripserunt Lindenbrogius et Westerhovius: *Sicine* recte Faernus et Bentleius et H. Ex *sice* ortum est *sic*.

7. *accessor* H.

8. *poterat* recentiores F^c^. *Quibus* est monosyllabum: fortasse rectius scribetur *quis*.

9. *aedepol* barbare Westerhovius.

11. *te adiuro* 2 B^c^, *tibi iuro* 1 B^c^, *Per omnis adiuro* coni. Bentleius.

14. *dissidium* mali ac recentiores Faerni et Bentleii codices. Conf. nota Faerni.

15. *Respiro* codex collegii C. C. apud Bentleium. Verbum *Resipisco* Bentleius contra librorum fidem tribuit Mysidi, sed id

Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quo minus haec fierent nuptiae, volo. set si id non poterit,
Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat.
Quis videor? C. miser, aeque atque ego. D. consilium quaero. C. forti's.
PA. Scio quid conere. D. hoc ego tibi profecto effectum reddam.
PA. Iam hoc opus est. D. quin iam habeo. C. quid est? D. huic, non tibi habeo, ne erres.
CH. Sat habeo. P. quid facies? cedo. D. dies mi hic ut satis sit vereor
Ad agendum: ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas:
Proinde hinc vos amolimini: nam mi impedimento estis.
PA. Ego hanc visam. D. quid tu? quo hinc te agis? C. verum vis dicam? D. immo etiam:

Nar-

Charino non modo optime convenit, quippe qui prioribus Pamphili verbis non omnino fidens amoris sollicitudine et insania usque correptus esset, sed etiam ne aptum quidem est liberorum hominum sermonibus interloqui ancillam abiectam: haec non nisi quae praecepta essent in scaenae initio eloquitur et ad iussa Pamphili in fine respondet.

16. *potuerit* H.

17. *non potuerit* H.

19. libri *fortis*, h. e. *fortis es* s. *forti's.*

20. *Scio quid conere*, h. e. scio te inutile quoddam conari; *ich weiss wohl was du versuchst.* Scholiastae: Scio quid conere: *si Pamphili est persona, cum εἰρωνείᾳ dicitur* (hoc rectissime), *si Charini, simplex laudatio* (hoc ineptissime). *sed si Pamphili est, hoc significat quod supra*, Ex unis geminas mihi conficies nuptias. *sed non esse personam Pamphili ex subiectis ostenditur.* Unus tantum B^c haec verba Charino satis inepte assignat. Bentleius ex coni. scripsit, C. *forti's;* | *Si quid c.* et haec interpretatur: *optimum consilium extundes, si modo nervos intendas.* Is sensus ex Bentleii lectione elici non potest.

22. *mihi hic* F^c (P), *hic mi* B^c H.

23. *me* om. H.

25. *imo* Lindenbrogius.

Narrationis incipit mi initium. C. quid me fiet?
DA. Eho tu inpudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,
Quantum huic promoveo nuptias? C. Dave, at tamen. D. quid ergo?
CH. Ut ducam. D. ridiculum. C. huc face ad me ut venias, si quid poteris.
DA. Quid veniam? nil habeo. C. at tamen si quid. D. age, veniam. C. si quid,
Domi ero. D. tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire hic.
MY. Quapropter? D. ita facto opus est. M. matura. D. iam inquam hic adero.

ACTUS IV. SCAENA III.

MYSIS. DAVUS.

MY. Nilne esse proprium cuiquam? Di vostram fidem:
Summum bonum esse erae putavi hunc Pamphilum,
Amicum amatorem virum in quovis loco

---

27. *tu* post *eho* om. H., sed erasum videtur.

29. *ut* post *me* om. 2 B^c vetustissimi et H probante Bentleio.

31. *me parumper opperire hic* 1 B^c, *parumper me opperire hic* 3 B^c, *parumper opperire me hic* ceteri. Recte Bentleius pronomen, quo numerus turbatur, quodque tam incertae est sedis, expulit.

32. *facto opus est*, ita codices praeter unum omnes. Recte. Ultima in voc. *facto* corripitur, non eliditur. Conf. ad I, 2, 11. *facto est opus* 1 F^c, probante Faerno et Bentleio. Faerno obsecutus est Lindenbrogius, qui quamvis nihil de libris suis rettulerit, tamen in codice P legi *facto opus est* equidem non dubito.

2. *putabam* 5 B^c, *putavi* ceteri. *putavi* non est tempus perfectum, sed praeteritum aoristum, quod fugit Bentleium. Quod pes tertius et quartus integris pedibus constant, nulla est artis neglectio: utroque enim loco per apostrophum iunctura pedum efficitur. Conf. *Elem. gramm. Lat.* p. 73. 74. *deputabam* coni. Bentleius.

3. *tutorem* pro *amatorem* coni. Bentleius, qui suam mutationem sic defendit. „Si hic est *amator;* Glycerium erit *meretrix;* prorsus contra fabulae argumentum." Primum in eo fal-

Parâtum: verum ex eo nunc misera quem capit
Laborem? facile hic plus mali est, quam illic boni.
Set Davos exit. mi homo, quid istuc obsecrost?
Quo portas puerum? D. Mysis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem exprompta malitia atque astutia.
My. Quid nam incepturu's? D. accipe a me hunc ocius,
Atque ante nostram ianuam adpone. M. obsecro,
Humine? D. ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne. M. quamobrem id tute non facis?
Da. Quia si forte opus sit ad erum iurandum mihi

---

litur, quod *amatores* non nisi *meretricum* esse putat, tum quod imperitae ancillae verba nimium religiose exigit.

5. *laborem* plures et antiqui Faerni ac Bentleii codices et H, *dolorem* (P), alii.

7. Nonnulli editores praesertim novi post *portas puerum* novam scaenam cum Scholiasta constituunt, nihil illi curantes, quod sic trimeter in duas scaenas dirimitur. Eosdem post *abiit* infra IV, 4, 5. et V, 1, 6. idem facere non ausos esse mireris. Libri novam scaenam non agnoscunt. Conf. Lindenbrogius.

8. *malitia* V b et alii Faerni et Bentleii codices, *militia* H, *memoria* plures F[c] plures B[c] et (P).

11. Scholiasta: Verbenae *autem dictae quasi* herbenae: sic Menander: κοδεξιάς σὺ μυρρυνας χχησδιετειντ. Corrupta Menandri verba Iacobsius ita restituit: ἀφ' ἐστίας σὺ μυρρίνας δέχου, Δυστηνέ. Conf. Meinekius *Menandr. et Philem. Reliq.* p. 21. Equidem in versu Menandreo ἀπὸ δηλίαυ scriptum fuisse suspicor.

12. *tute id* coni. Bentleius.

13. *iurandum* F[c], *iusiurandum* B[c] (praeter unum Academicum, qui *iure iurando*) P H. Donatus sive Scholiasta in libris suis tantummodo *iurandum* legebat; eius annotatio satis ridicula est haec: *Sic locutus est, ut explicari atque intelligi non possit: aut enim deest* ius, *ut sit* iurandum *pro* iusiurandum, *aut (ut vulgo dicitur)* iuramentum. Iurandum pro iureiurando dici non posse bene demonstravit Bentleius, ac locos Plautinos, qui ad hunc usum approbandum a Pareo in lexico Plautino afferuntur, sollerter removit. Sed ipse verborum structuram non perspexit. Scilicet quum scripsisse sufficeret, *si forte sit ad herum iurandum mihi,* Terentius abundantia qua-

Non adposuisse, ut liquido possim. M. intellego:
Nova nunc religio in te istaec incessit; cedo.
DA. Move ocius te, ut quid agam porro, intellegas.
Pro Iuppiter. M. quid est? D. sponsae pater intervenit.
Repudio quod consilium primum intenderam.
MY. Nescio quid narres. D. ego quoque hinc ab dextera
Venire me adsimulabo: tu, ut subservias
Orationi, utcumque opus sit, verbis vide.
MY. Ego, quid agas, nihil intellego: set, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
Manebo, ne quod vostrum remorer commodum.

ACTUS IV. SCAENA IV.

CHREMES. MYSIS. DAVUS.

CH. Revertor, postquam quae opus fuere ad nuptias
Gnatae paravi, ut iubeam adcersi. set quid hoc?
Puer herclest. mulier, tun adposuisti hunc? M. ubi illic est?
CH. Non mihi respondes? M. nusquam est. vae miserae mihi,

---

dam dixit, *si opus sit iurandum.* Nemo offenderet, si dedisset poeta, *si forte opus sit ad erum iurare mihi;* atque *iurandum* prorsus idem est quod *iurare.* Facile igitur carebimus *iurato*, ut ex coni. scripsit Bentleius.

15. *relligio* Lindenbrogius, male. Praepositionem *in* omisit Bentleius; prava de causa.

18. *consilium quod* tres recentiores B^c nonnulli F^c haud antiqui.

21. *opust* coni. Bentleius.

23. *ut* pro *aut* coniecerunt duumviri audacissimi, Guyetus et Bentleius; male.

2. *arcersi* Lindenbrogius.

3. *tun adposuisti* Faernus et Lindenbrogius et nonnulli B^c, *tun posuisti* H. et plerique B^c, *tu adposuisti* nonnullae veteres editiones, unde recepit Bentleius. *tun* acuta vi litterae *n* corripitur: itidem brevis est prima in *illic.* Itaque versus non est iusto longior, ut existimabat Bentleius. Variae lectiones unde ortae sint, sponte apparet.

4. *hem nusquam est* H.

Reliquit me homo, atque abiit. D. Di vostram fidem,
Quid turbae est aput forum? quid illic hominum litigant?
Tum annona carast. quid dicam aliud, nescio.
My. Cur tu obsecro hic me solam? D. quae est haec fabula?
Eho, Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?
My. Satin sanu's, qui me id rogites? D. quem ego igitur rogem?
Qui hic neminem alium videam. C. miror, unde sit.
Da. Dicturane es quod rogo? M. au. D. concede ad dexteram.
My. Deliras: non tute ipse? D. verbum si mihi
Unum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave.
My. Male dicis? D. undest? dic clare. M. a nobis. D. ahaheh,

---

5. *me* corripitur non eliditur.

6. Servus, qui se mirabundum simulat et quasi subito de foro venientem, numeri pedibus solutis utitur, in quibus nihil valet positio; quod quum ignorarent Guyetus et Bentleius, ex coni. scripserunt, *Quid turbae aput forumst.*

8. *hem! quae haec est f.* plures et meliores ex B^c^ et H. Recepit Bentleius.

10. *sanus es* Faernus et H, *sanus* h. e. sanu's P. Bentleius e coni. dedit,
Satin sanu's, me qui id rogites? — quem igitur rogem? Male.

12. *dicturan es* v H, *dicturan' quod* 1 B^c^, *dicturane es* ceteri F et B^c^ et (P) qui *dicturan' es*. Priscianus p. 1012 (I. p. 623.) *Idem in Andria:* dicturane es quod rogo? au. *es* corripitur quamvis sequente consonante. *dictura es* coni. Bentleius.

14. *Praeterquam* Faernus Lindenbrogius Westerhovius. Sic igitur legi in omnibus aut certe plurimis eorum libris certum videtur. *Praetereaquam* plurimi B^c^, *Praeterea quam* H. Sine causa Bentleius in verbis *si faxis*, *cave* (ille ad decipiendum lectorem *cave si faxis* in nota ponit) offendit, nam ea non dicta sunt pro *faxis cave,* sed *cave* efficit apodosin. Coni. Bentl. *verbum unum mihi* | *Praetereaquam* cet. *Praetereaquam* non est Terentianum.

15. *ah ah eh* Faernus, *ha ha he* Lindenbrogius, *ahahe*

Mirum vero, inpudenter mulier si facit
Meretrix. C. ab Andria est haec, quantum intellego.
DA. Adeon videmur vobis esse idonei,
In quibus sic inludatis? C. veni in tempore.
DA. Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua:
Mane: cave quoquam ex istoc excessis loco.
MY. Di te eradicent: ita me miseram territas.
DA. Tibi ego dico, annon? M. quid vis? D. at etiam rogas?
Cedo, cuium puerum hic adposuisti? dic mihi.
MY. Tu nescis? D. mitte id, quod scio: dic quod rogo.
MY. Vestri. D. cuius nostri? M. Pamphili. D. hem,
quid? Pamphili?
MY. Eho, annon est? C. recte ego semper fugi has nuptias.
DA. O facinus animadvertendum. M. quid clamitas?

---

meliores B^c, *a. ha. ha.* H. Equidem *ahaheh* Faernianum teneo ac pro anapaesto accipio, ita ut exigua posita in versus fine distinctione interiectio artius cum subsequenti *mirum vero* iungatur, atque prioris versus numerus continuetur: ita pes tribus syllabis compositus non offendit. Conf. nota mea ad Eunuch. prolog. v. 7. Bentleius suum versum dedit, non Terentii, hunce:
Quin dicis undest clare. M. *a nobis.* D. *attate:*
nihil erat, cur in verbis *male dicis* offenderet Bentleius; neque recte scholiasta: *Nove* maledicis *pro comminatione posuit, quum pro convicio soleat poni. male dicis* (non maledicis)? est nostrum, *du tobest noch?* Ponebatur punctum post *dicis*.

17. *est ancilla haec* libri; nomen *ancilla* recte delevit Bentleius, cuius nota conferatur.

23. *dico ego* vett. editiones, unde recepit Bentleius.

27. *has fugi* 1 B^c, *has semper fugi* 2 B^c. Bentleius speciosius quam verius: „Quomodo semper fugit, qui I, 1, 73. ultro ad Simonem venit, ut cum summa dote filiam Pamphilo uxorem daret: et postea III, 3. consensit, ut hodie fierent nuptiae?" Primum verba senis vehementer commoti non tam religiose sunt exigenda, tum vero revera fugerat has nuptias, posteaquam amare Pamphilum audierat, ac nonnisi lentus Simoni precibus instanti commodus concesserat. *recte ego nempe has fugi nuptias* coni. Bentleius. *recte ego nempe* vix est Latinum.

Da. Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?
My. O hóminem audacem. D. verum. vidi Cántharam
Suffárcinatam. M. Dis pol habeo grátias,
Cum in páriundo aliquot ádfuerunt líberae.
Da. Ne illa íllum haut novit, cúius causa haec íncipit:
Chremés, si positúm púerum ante aedis viderit,
Suam gnátam non dabit: tanto hercle mágis dabit.
Ch. Non hércle faciet. D. núnc adeo, ut tu sis sciens,
Nísi puerum tollis, iám ego hunc in médiam viam
Provólvam: teque ibidem pervólvam in luto.
My. Tu pól homo non es sóbrius. D. fallácia
Ália aliam trudit. iám susurrari áudio,
Civem Atticam esse hanc. C. hém. D. coactus légibus
Eam uxórem ducet. M. eho, óbsecro, an non cívis est?
Ch. Ioculárium in málum ínsciens paene íncidi.
Da. Quis hic loquitur? o Chremé, per tempus ádvenis.
Auscúlta. C. audivi iam ómnia. D. ah ne tu ómnia!

---

29. *quem* H. *cantharam hanc* H.

31. *gratiam* duo tantummodo B^c, unde recepit Bentleius: librarius offendit in locutione *gratias habere;* at vero ea non solum Latina est et Plautina (cf. Trinumm. III, 2, 33. IV, 1, 2 et 5. Pers. V, 1, 4.), sed etiam Terentiana. Conf. Phorm. V, 7 (8), 1. *Gratia* est *gratus animus*, *gratiae* sunt verba grata, Aeusserung der Dankbarkeit durch Worte, unde semper dicimus *gratias agere*, nunquam *gratiam agere*, semper *gratiam referre*, nunquam *gratias referre.* Itaque *gratiam habere* est gratiam secum habere, *gratias habere* est verbis eloqui gratiam.

33. *hoc* H.

34. *puerum positum* nonnulli B^c et H, *adpositum puerum* coni. Bentleius.

41. *eho* Lindenbrogius.

42. *au* Lindenbrogius.

44. *Quis hic loquitur? hic* in hac locutione pronomen est, non adverbium, ideoque corripitur.

45. *iam* om. B^c H paucique recentiores F^c. *an haec* plures et meliores B^c P H, *anne haec* coni. Bentleius.

Ch. Audivi, inquam, a principio. **D.** audistin', obsecro? hem
Scelera, hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic est ille: non te credas Davom ludere.
My. Me miseram: nil pol falsi dixi, mi senex.
Ch. Novi omnem rem. est Simo intus? **D.** est. **M.** ne me attingas,
Sceleste: si pol Glycerio non omnia haec.
Da. Eho inepta, nescis quid sit actum? **M.** qui sciam?
Da. Hic socer est. alio pacto haut poterat fieri,
Ut sciret haec, quae volumus. **M.** praediceres.
Da. Paulum interesse censes, ex animo omnia,
Ut fert natura, facias, an de industria?

---

48. *Hic illic est* pauci B^c. *Hic est ille*, ne Priscianus p. 1114 (II, 104).

50. *attingas* pronunciandum est: *attigas* ex coni. scripserunt Guyetus et Bentleius. Huius formae tria exempla ex Turpilio, Attio, Plauto exscripsit quidem Nonius p. 75, 29., sed Terentio eiusmodi archaismos libris invitis equidem haud obtrudam.

52. *quid sciam* Lindenbrogius et pauci B^c.

54. *voluimus* perantiquus Bentleii codex, sed quum libri ceteri magno consensu *volumus* exhibeant, hoc profectum videtur a metrico interpolatore. Prima in *volumus* arsis et litterae liquidae auxilio producitur.

55. *Hilum i. c.* coniecit Bentleius. Bentleium in verissima librorum scriptura haesisse non tantopere miror, quam Ruhnkenium eandem pro corrupta habuisse. Verba *Paulum interesse censes?* per interrogationem prolata idem significant atque *multum interest*; quapropter scholiasta dicit *Paulum* nove positum esse pro *multum.* Sic nos dicimus: glaubst du, es mache einen kleinen Unterschied? glaubst du, mir sei wenig dran gelegen? Itaque hoc dicit Davus: *Equidem nihil hac de re ante tecum sum locutus, ut ad maiorem fidem Chremeti faciendam omnia diceres ex animo, ut ferret natura, nihil de industria ac simulatione.* Bentleii coniectura accepta contraria ac falsa exit sententia. Donatus: *Et haec sententia a Terentio* ἐρωτηματικῶς *prolata est, quam Menander* ἐπιδεικτικῶς *posuit.* Cumulatas Menandri sententias multas acri iudicio per interrogationem a Terentio prolatas existimo, ut quaesita illa sapientia paululum obscuraretur.

Actus IV. Scaena V.

Crito hospes. Mysis. Davus.

Cr. In hàc habitasse plàtea dictumst Chrỳsidem,
Quae sèse inhoneste optàvit parere hic divìtias,
Potiùs quam honeste in pàtria pauper vivere.
Eius mòrte ea ad me lège rediermnt bona.
Set quòs perconter vìdeo. salvete. M. òbsecro,
Quem vìdeo? estne hic Critò sobrinus Chrỳsidis?
Is èst. C. o Mysis, sàlve. M. salvos sis Crito.
Cr. Itan Chrỳsis? hem. M. nos quìdem pol miseras pèrdidit.
Cr. Quid vòs, quo pacto hìc? satin recte? M. nòsne? sic
Ut quìmus, aiunt; quàndo, ut volumus, nòn licet.

---

2. *sibi* 1 B^c chartaceus, unde recepit Bentleius. *parere* antiqui omnes ac nonnulli recentiores F^c plurimi (ut videtur) B^c H, *parare* (P) et codices Palatini. Priscianus p. 1030. (I. p. 642.): *Terentius in Andria:* quae inhoneste hic voluit divitias parare, quam honeste in patria pauper vivere. Ita ex codicibus suis haec scripsit Kreblius; Faernus autem quos vidit Prisciani libros, illi *parere* exhibebant.

3. *viveret* 2 B^c P H, *vivere* ceteri et Priscianus. Poeta ex severa syntaxis lege scribere debebat *pauperem vivere;* sed quum ita nimium indocte verba iungi sentiret, in secundo enunciato structuram accusativi cum infinitivo inchoatam reliquit, et ad nominativum cum infinitivo Graeco more iunctum transiit. Quapropter *viveret* interpolationem esse grammatici existimo. Deterius etiam *sibi* in antecedente versu ab indocto homine scriptum est. Utrumque nimis festinanter recepit Bentleius.

8. *pol quidem* coni. Bentl.

9. Ultima in verbo *pacto* corripitur non eliditur. Faernus et Bentleius *satine* contra librorum fidem legendum praecipiunt: legitur haec forma in Eunuch. II, 1, 2., ubi omnes libri eam ut videtur tuentur. Sed *satine* pro *satisne* aeque barbarum videtur atque *iubene* et *audine* pro *iuben* et *audin* sive pro *iubesne* et *audisne*. *sic* om. H.

10. Versus qui sine auctoris nomine apud Suidam II. p. 13. legitur hice:

ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.

ex Menandri Andria sumptum esse probabiliter coniecerunt edi-

Cr. Quid Glycerium? iam hic suos parentes repperit?
My. Utinam. C. an nondum etiam? haut auspicato huc me adtuli:
Nam pol, si id scissem, numquam huc tetulissem pedem:
Semper enim dicta est esse haec atque habita est soror:
Quae illius fuerunt, possidet: nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile,
Aliorum exempla commonent: simul arbitror,
Iam aliquem esse amicum et defensorem ei: nam fere
Grandiuscula iam profectast illinc. clamitent,

---

tores Terentii plures et Meinekius *Menandri et Philem. Reliq.* p. 22. Si hunc versum ac non potius proverbium ante Menandrum usitatum respexit qui in Hippia mai. p. 301. e. scripsit: τοιαῦτα τὰ ἡμέτερά ἐστιν, οὐχ οἷα βούλεταί τις, φασὶν ἄνθρωποι ἑκάστοτε παροιμιαζόμενοι, ἀλλ' οἷα δύναται.: ille dialogus vel propter hoc indicium Platoni abiudicandus esset.

12. *adpulit* Faernus et Lindenbrogius, *adtulit* recte restituit Bentleius ex uno librorum suorum et Prisciano p. 1009. (I. p. 620.), ubi codices, quos Bentleius Georg. et Franc. Fabricii atque Krehlius viderunt, omnes exhibent *adtuli*, quanquam Putschius dederit *adpuli*. *Se adpellere* vix Latinum videtur.

14. *Semper enim dicta est esse haec* V b ac nonnulli B^c, *Semper eius dicta est esse haec* ceteri F et B^c, *Semper enim dicta eius esse haec* P, *Semper eius dicta est esse*, *atque habita est soror haec* H. Aberrationes a vera scriptura, quam servarunt codices primarii, inde natae sunt, quod ad designandam Chrysidem pronomine *eius* opus esse librarii vel correctores opinabantur. *Semper ei* coni. Bentleius.

16. *quam id* quattuor (inter quos tres veterrimi) B^c et H. Recepit hanc lectionem Bentleius atque sic defendit: „Si *hic* legis, convicium erit Atheniensibus solis, quasi insigniter erga hospites iniuriis. — — Quid quod Menander Atticus noluisset civitatem suam inutili dicto lacerare?“ Sed primum non ineptum est peregrinum de Atheniensibus loqui oblique: tum vero eiusmodi aculei minime alieni sunt ab ingenio Menandri.

17. *Aliorum me exempla* H.

18. *esse aliquem* 4 B^c H: recepit Bentleius. *eius* H.

19. *clam: clamitent* P.

Me sycophantam, hereditatem persequi,
Mendicum: tum ipsam despoliare non licet.
My. O optume hospes, pol, Crito, antiquum obtines.
Cr. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. M.
maxume.
Da. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

Actus V. Scaena I.

Chremes. Simo.

Ch. Satis iam, satis Simo, spectata erga te amicitiast mea:
Satis pericli coepi adire: orandi iam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, paene inlusi vitam filiae.
Si. Immo enim nunc quam maxume abs te postulo atque
oro, Chreme,

---

20. *hereditates* Lindenbrogius.

21. *lubet* duo veterrimi Bentleii codices totidemque Rivii et H. *lubet* interpolatori deberi videtur, qui ignoraret *licere* dici etiam de eo, quod per honestatem potest fieri: recte igitur Donatus: tum ipsam — licet: *ab honesto. lubet* recepit Bentleius.

22. *O optume* 2 Br, ceteri codices om. *O*, quod ex coniectura recte addiderat Muretus.

2. „Omnes Nostri cum Edd. vett. *incepi.* Recte: *incepi* plus est quam *coepi*: et suavior per elisionem fit versus.“ Bentleius. *incepi* suppeditat etiam H. *Coepi* Faernus et Lindenbrogius ex libris suis ut videtur omnibus dederunt. Veteres editiones non *incepi* sed *icoepi* et *incoepi* exhibent, unde variae scripturae origo luculente apparet. Nimirum ultima vocalis vocis *pericli* subsequenti adhaesit. *Incipio* cum infinitivo iunctum invenitur et apud Terentium (Andr. III, 2, 13. Heaut. III, 1, 86.) et apud Ciceronem, *incepi* autem apud utrumque nunquam ita construitur. In Plauti Trucul. II, 5, 14. *Si bene facere incepit* legitur, sed fortasse et in hoc loco scribendum est *coepit.*

4. *Immo etiam* H. *cum maxime* legi apud Donatum dicit Faernus, sed in editionibus Lindenbrogii et Westerhovii atque in Tarvisina a. 1474 legitur *quam m.* Utrumque recte dicitur, et *quam maxime* et *cum maxime.* Tenemus igitur librorum scripturam. *cum. m.* dedit Bentleius.

Ut beneficium verbis initum dudum nunc re comprobes.
CH. Vide quam iniquus sis prae studio: dum id efficias,
quod cupis,
Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas:
Nam si cogites, remittas iam me onerare iniuriis.
SI. Quibus? C. at rogitas? perpulisti me, homini adu-
lescentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam ut darem in seditionem, atque in incertas nuptias;
Eius labore atque eius dolore gnato ut medicarer tuo:
Impetrasti: incepi: dum res tetulit. nunc non fert: feras.
Illam hinc civem esse aiunt: puer est natus: nos missos face.
SI. Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas
credere,
Quibus id maxume utilest illum esse quam deterrimum.
Nuptiarum gratia haec sunt ficta atque incepta omnia.

---

9. *at rogitas* B[c] H, *ah! r.* Faernus et Lindenbrogius. *homini ut* coni. Bentleius, *ut homini* libri omnes; sed paulo post redit *ut* ad idem verbum referendum. Huic vitio, nam vitium est, ut mederetur, Bentleius sequens *ut* omisit; ego prius delevi: nam primum magis apparet, quomodo hoc in loco addi potuerit, quam in secundo repeti, quum semel positum esset: deinde interpolator haesit fortasse in hiatu, qui est in *homini*, quem esse legitimum ille ignorabat. Conf. ad I, 2, 11.

11. *ut*, quod libri omnes tuentur in edd. plerisque omitti dicit Bentleius: non omittitur in antiquis, quas vidi editiones. Lindenbrogius *ut* omisit, sed vereor ne hoc typothetae vitio commissum sit. *in* om. idem Lindenbrogius; exhibent praepositionem fere omnes F[c] B[c] et H. Mire dicit Faernus voculam *in* scansione omittendam esse: prima vocis *incertas* corripitur.

12. *mederer* H.

13. *recte tulit* H. *ut fert* H.

17. *facta* unus chartaceus Bentleii liber et a prima manu duo alii: recepit Bentleius propterea, quod in versu sequenti non *fingunt* sed *faciunt* recurrat: at vero hoc *faciunt* ad duo simul refertur, ad *ficta* et *incepta*, ideoque *fingunt* dici non poterat.

Ubi ea causa, quamobrem haec faciunt, erit adempta his, desinent.
CH. Erras: cum Davo egomet vidi iurgantem ancillam. S. scio. C. at
Vero voltu; cum ibi me adesse neuter tum praesenserat.
SI. Credo; et id facturas Davos dudum praedixit mihi:
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

ACTUS V. SCAENA II.

DAVUS. CHREMES. SIMO. DROMO.

DA. Animo nunc iam otioso esse impero. C. hem Davom tibi.
SI. Unde egreditur? D. meo praesidio atque hospitis. S. quid illud mali est?
DA. Ego commodiorem hominem adventum tempus non vidi. S. scelus,
Quemnam hic laudat? D. omnis res est iam in vado. S. cesso adloqui?
DA. Erus est: quid agam? S. o salve, bone vir. D. ehem, Simo, o noster Chreme,
Omnia adparata iam sunt intus. S. curasti probe.
DA. Ubi voles, adcerse. S. bene sane: id enimvero hinc nunc abest.
Etiam tu hoc respondes, quid istic tibi negotist? D. mihin? S. ita.

---

19. *ancillam iurgantem* coni. Bentleius. *at* om. idem.
21. *facturos* H, *futurum* coni. Bentleius. *dum* H.
22. *qui* pro *quid*, *ut* pro *ac* coni. Bentleius; male utrumque.
3. *adventum ad tempus* P.
6. *iam* om. P.
7. *is enimvero* P 3 B^c. *hinc nunc* 1 B^c pauci F^c.
8. *respondes* Faernus Lindenbrogius 1 B^c, *responde* ceteri B^c et H. Donatus: Etiam tu hoc respondes? — *deest annon*. Alius addidit: Etiam tu hoc respondes? — etiam *aut hortatio est aut coniunctio*. Hunc scholiastam legisse *responde*, ut iudicabat Bentleius, ex verbis eius nullo modo liquet,

DA. Mihi? S. tibi ergo. D. modo ego introii. S. quasi ego quam dudum rogem.
DA. Cum tuo gnato una. S. anne est intus Pamphilus? crucior miser.
Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?
DA. Sunt. S. cur igitur hic est? C. quid illum censes? cum illa litigat.
DA. Immo vero indignum, Chremes, iam facinus faxo ex me audias.
Nescio qui senex modo venit: ellum, confidens catus:
Cum faciem videas, videtur esse quantivis preti:
Tristis severitas inest in voltu atque in verbis fides.
SI. Quidnam adportas? D. nil equidem, nisi quod illum audivi dicere.
SI. Quid ait tandem? D. Glycerium se scire civem esse Atticam. S. hem,
Dromo, Dromo. DR. quid est? S. Dromo. D. audi. S. verbum si addideris. Dromo.
DA. Audi, obsecro. DR. quid vis? S. sublimem hunc intro rape, quantum potes.

---

responde, quod mihi ex difficiliori *respondes* correctum videtur, recepit Bentleius.

9. *mihine* H (P). *introivi* 1 B^c, *ego introivi* coni. Bentleius, unde pronomen recepi. *iam quam dudum* H.

11. *dixtin esse inter eas* H.

13. *Chreme* 1 B^c. *audies* 4 B^c. Utrumque recepit Bentleius.

14. *Nescio qui* D 1 B^c Nonius p. 262, 20., *Nescio quis* ceteri. *qui* hoc loco unice aptum est, quippe quod significet qualitatem: nam ex sequentibus satis patet voluisse Davum indicare, sibi de ingenio senis nihil constare, utrum sit homo verax, an ad mentiendum subornatus.

16. Hermannus *Elem. d. m.* pag. 167. hunc versum iambicum esse statuit propterea, quod in enumeratione multarum rerum vel in alia descriptione numerus trochaicus in iambicum soleat transire. Sed in hoc loco descriptio illa iam a versu 14. incipit, in quo quum numerus non mutetur, etiam in hoc versu trochaeos teneri aptum videtur.

18. *esse civem* recentiores F^c, *civem esse* ceteri.

Dr. Quem? S. Davom. D. quamobrem? S. quia lubet. rape inquam. D. quid feci? S. rape.
Da. Si quicquam invenies me mentitum, occidito. S. nihil audio.
Ego iam te commotum reddam. D. tamen etsi hoc verum est? S. tamen.
Cura adservandum vinctum. atque audin? quadrupedem constringito.
Age nunc iam: ego pol hodie, si vivo, tibi
Ostendam, erum quid sit pericli fallere,
Et illi patrem. C. ah ne saevi tantopere. S. o Chreme,
Pietatem gnati. nonne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium?
Age, Pamphile: exi, Pamphile: ecquid te pudet?

Actus V. Scaena III.

Pamphilus. Simo. Chremes.

Pa. Quis me volt? perii, pater est. S. quid ais, omnium? C. ah,
Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.
Si. Quasi quicquam in hunc iam gravius dici possiet.
Ain tandem, civis Glyceriumst? P. ita praedicant.
Si. Ita praedicant? o ingentem confidentiam:
Num cogitat quid dicat? num facti piget?
Vide, num eius color pudoris signum usquam indicat?

---

22. *me mentitum* antiqui F[c] et B[c] et H et (P), *mentitum me* alii F[c], nonnulli eiusdem Faerni libri *me* om.

23. *tametsi* pauci F[c] et H. *tamen tu* in Simonis responsione praeter Vaticanum et Bentlei veterrimum libri omnes. Simo, dum iussa dat servo, iambis, idem vero ubi comminatur, gravibus trochaeis incedit.

26. *quid erum* coni. Bentleius.

27. *o* om. 2 B[c] ac perpauci F[c].

30. *et quis* H.

3. *iam* om. H.

7. *Vide*, quod deest in lemmate notae a Donato vel ab alio scholiasta conscriptae, libri omnes tuentur. Lindenbrogius qui-

Adeon' inpotenti esse animo, ut praeter civium
Morem atque legem, et sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
PA. Me miserum. S. hem, modone id demum sensti, Pamphile?
Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi:
Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
Set quid ego? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem huius sollicito amentia?
An ut pro huius peccatis ego supplicium sufferam?
Immo habeat, valeat, vivat cum illa. P. mi pater.
SI. Quid mi pater? quasi tu huius indigeas patris.
Domus uxor liberi inventi invito patre.
Adducti qui illam civem hinc dicant: viceris.
PA. Pater, licetne pauca? S. quid dices mihi?
CH. Tamen, Simo, audi. S. ego audiam? quid audiam,
Chremes? C. at tandem dicat. S. age dicat: sino.

---

dem hoc verbum omisit, sed is hoc loco haud dubie obsecutus est Faerno, non libro suo Parisino. *eius* est monosyllabum. *Numnam eius* coni. Bentleius.

8. Prima vocis *inpotenti* corripitur, ut in scaena antecedente v. 11. *incertas* admissum est. *Adeo impotenti* coni. Bentleius.

10. *Tamen habere cupiat* P.

11. *hem* om. H. *sensisti* H.

15. *Sed quid ego me autem? cur excrucio?* codex Academicus Bentleii. Pessimam hanc interpolationem immutando scripsit Bentleius, *Sed quid ego me autem excrucio?* cet., quae non solum valde ieiuna sunt, sed etiam a stilo Terentiano abhorrent.

21. *dicunt* H.

23. *Tamen* B b B^{c} H, *Tandem* P, *Attamen* ceteri F^{c}. *quid audiam* B v 1 B^{c}, *quid ego aud.* ceteri. Liber Bembinus, omnium praestantissimus, hic fere legi posse incipit.

24. *Chremes* B v, *Chreme* ceteri. *at tandem* B V P 3 B^{c} aliique antiqui Faerni codices, *at tamen* ceteri. Post *dicat* verbum *sine* libri omnes praebent praeter Bembinum, in quo id

PA. Ego me amare hanc fateor. si id peccare est, fateor id quoque.
Tibi, pater, me dedo. quidvis oneris inpone: impera:
Vis me uxorem ducere? hanc vis mittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me adlegatum hunc senem:
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. S. adducas? P. sine, pater.
CH. Aequum postulat: da veniam. P. sine te hoc exorem. S. sino.
Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
CH. Pro peccato magno paululum supplici satis est patri.

ACTUS V. SCAENA IV.

CRITO. CHREMES. SIMO. PAMPHILUS.

CR. Mitte orare. una harum quaevis causa me ut faciam monet,
Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
CH. Andrium ego Critonem video? certe is est. CR. salvos sis, Chreme.
CH. Quid tu Athenas insolens? CR. evenit. set hicinest Simo?
CH. Hic Simo. S. men quaeris? eho, tu Glycerium hinc, civem esse ais?

CR.

---

suprascriptum invenitur. Quippe glossa est ad explicandum coniunctivum *dicat* addita atque ex subsequente *sino* enata. Bentleius versus 23. et 24. sic scriptos dedit:

CH. *Tamen, Simo, audi.* S. *egon audiam? quid ego audiam, Chreme?* CH. *at tamen dicat sine.* S. *age dicat: sino.*

27. *amittere* libri, *mittere* coni. Faernus; recte: conf. Bentleius.

30. *hoc* om. H.

32. *paulum* nonnulli recentiores F[c], unde recepit Bentleius. *paululum* recte se habet: dactylus est, non creticus.

3. *is certe est* coni. Bentleius.

4. *hiccine* H.

5. CH. *Hic.* S. *men quaeris? eho* cet. vel *Hic.* SIMO.

Cr. Tu negas? S. itane huc paratus advenis? Cr. qua
de re? S. rogas?
Tune inpune haec facias? tune hic homines, adulescentulos
Inperitos rerum, eductos libere, in fraudem inlicis?
Sollicitando et pollicitando eorum animos lactas? Cr. sanusne es?
Si. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
Pa. Perii: metuo, ut substet hospes. C. si, Simo, hunc
noris satis,
Non ita arbitrere: bonus est hic vir. S. hic vir sit bonus?
Itane adtemperate evenit, hodie in ipsis nuptiis
Ut veniret, antehac numquam? est vero huic credendum,
Chreme.

---

men quaeris? eho cet. libri, nisi quod duo meliores Bentleii codices suppeditant, *Hic.* Sim. *Simo, men quaeris?* cet.; Ch. *Hic.* Cr. *Simo, men quaeris?* S. *eho* cet. coniecit Bentleius. *Simo, men quaeris?* Critoni apte tribui non possunt, quippe quem Simo non quaereret: neque Pamphilus Critonem a patre suo quaeri intus potest dixisse, nisi forte eum mentitum esse putamus. Contra peraptum est, ut Simo dicat *men quaeris?*

6. *de* om. 2 B[c]. Qui omisit, fortasse in mensura vocis *advenis,* quae est in hoc loco ⏑́⏑⏑ —, haesit. Interpolationem probavit Bentleius.

7. *hoc* recentiores F[c].

8. Interpungendum praecipit Bentleius *in fraudem inlicis | Sollicitando, et* cet., sed tum dicendum foret *sollicitando inlicis.*

9. *lactas* B[c] et codices Westerhovii ut videtur, *iactas* H et liber Bodl. a Westerhovio memoratus, *lactans* Faernus et Lindenbrogius, quos hoc ex codicibus suis melioribus dedisse vehementer dubito. Et a Terentii et ab aliorum optimae notae scriptorum elegantia abhorret concludere sententiam participio in ns exeunte, nisi per hoce participium duraturum quicquam et constans designatur. In versus exitu *sanun es* ex coni. scripsit Bentleius.

10. *an* H.

12. *arbitrare* H.

13. *Ita* P. *evenit* H plurimi B[c], *venit* Faernus et Lindenbrogius. „*Evenit* — — refer ad illud Critonis v. 4. *Quid tu Athenis insolens?* Cr. *evenit.* Hoc Simo, ut irati solent, re-

P*A*. Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod moneam probe.
SI. Sycophanta. CR. hem. C. sic, Crito, est hic: mitte. CR. videat, qui siet.
Si mihi pergit quae volt dicere, ea, quae non volt, audiet:
[Ego istaec moveo aut curo? non tu tuum malum aequo animo feres?]
Nam ego quae dico, vera an falsa audierim, iam sciri potest.
Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum eiectus est,
Et istaec una parva virgo. tum ille egens forte adplicat
Primum ad Chrysidis patrem se. S. fabulam inceptat. CH. sine.
CR. Itane vero obturbat? C. perge. CR. tum is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit. ibi ego audivi ex illo sese esse Atticum.

---

petit. Ceterum noli cum Faerno per interrogationem efferre, *Est vero huic credendum?* Longe melius est per Ironiam." Bentleius.

17. *pergit* 1 B^c Faernus Lindenbrogius, *perget* ceteri B^c et H. Saltem propter subsequens *audiet* non opus est, ut scribatur *perget:* hoc Bentleius recepit et Faernianum *pergit* tanquam vitium typographicum exagitavit: non assentior.

18. Procul amoveatur hic pannus a Terentii purpura. Nam primum pro, *Ego istaec moveo aut curo?* dicendum erat *egone istaec moveo aut curo* sive *moveam aut curem?* deinde, cur Crito vehementer ipse commotus Chremeti irato ad malum aequo animo ferendum placide suadeat? denique idem Pamphili in Glycerium amorem *malum* dicere apte non potest. Eo accedit, quod totius versus sententia non solum admodum otiosa est, sed etiam versus qui sequitur omnino non cohaeret cum hoc (18) supposititio; contra optime et artissime cohaeret cum v. 17.

19. *dico* B (P), *dixi* ceteri. *audierim* B et codex collegii Corp. Christ. apud Bentleium, *audieris* ceteri.

20. *nave* H. *ad* B, *apud* ceteri.

23. *perge tu.* CR. *is mihi c. f.* coniecit Bentleius, vehementer offendens in particula temporali *tum*, sed haec amisit significationem temporis, quum respondeat antecedenti *tum* v. 21., quod fugit Bentleium.

Is ibi mortuus est. C. eius nomen? Cr. nomen tam cito tibi? (Phania.) C. hem,
Perii. Cr. verum hercle opinor fuisse Phaniam: hoc certo scio,
Rhamnusium se aiebat esse. C. o Iuppiter. Cr. eadem haec, Chreme,
Multi alii in Andro tum audivere. C. utinam id sit, quod spero. eho, dic mihi,
Quid eam tum? suamne esse aibat? Cr. non. C. cuiam igitur? Cr. fratris filiam.

---

25. *iam cito* H. *tibi* om. 3 B[c]. *tibi* omisit Bentleius, ut ne versus iustam mensuram excurreret; sed deesse apte non potest et a plurimis optimisque libris exhibetur. Quapropter equidem statuo vocem *Phania* extra numerum poni, quod parenthesis signis significavi. Nimirum hoc nomen ita profertur a Critone, ut a nemine astantium personarum clare exaudiatur. Donatus: Phania: *hoc ita dixit Crito, ut nemo audiret, scilicet adhuc dubitans, an ipse sit.* Dum Crito secum de nomine dubitat, Chremes partim prae impatientia partim timens, ne alienum nomen ille pronunciaret, infert, *hem|Perii*, quod est fere Germanorum, *ach, ich vergehe.* Si Chremes nomen *Phania* auribus suis percepisset, plane ineptum foret *hem perii*, nam hoc semper vel desperantis est vel indignantis, nunquam admirantis, ut dicit Ruhnkenius, abusus Eunuchi loco II, 3, 69. Demum in v. 27., postquam clare audivit Phaniae nomen, Simo in summam admirationem erumpit. Inutilia et falsa Donatus sive Scholiasta effutit: Hem: *sunt qui putant Simonem dicere, irascentem filio Critonem submonenti.* Qui ita putabant, nomen *Phania* Pamphilo tribuebant, ut fecit Bentleius: sed obstant primum quae modo exposuimus, deinde non apta sunt ad hanc rationem verba Critonis, *verum hercle opinor fuisse Phaniam.* Pamphilus acerbis patris sui conviciis etiamnum commotus demum in v. 42. interloqui audet, ante secum locutus pauca 15. 38. 41. Male Scholiasta (Donatus?): Perii: *hoc Pamphilus post iracundiam patris. An Chremis est dolentis, vel ad eius mentionem, vel quod in filiam paene peccarat?*

27. *sese aibat* coni. Bentleius. *Iupiter* H.

28. *Multi alii in* uno pede dactylico comprehendenda sunt. Bentleius eiecit *tum*, codicem suum Petrensem secutus, sed ea particula apte abesse nequit. *heo* H.

29. *aiebat* libri, *aibat* Bentleius.

Ch. Certè meast. Cr. quid ais? S. quid tu ais? P. arrige auris, Pàmphile.
Si. Qui crèdis? C. Phania illic frater meùs fuit. S. noram èt scio.
Ch. Is hinc, bèllum fugiens mèque in Asiam pèrsequens, proficiscitur;
Tum illàm relinquere hic est veritus. pòst illa nunc primum aùdio,
Quid illò sit factum. P. vix sum apud me: ita ànimus commotùst metu
Spe gaùdio, miràndo hoc tanto tàm repentinò bono.
Si. Ne istàm multimodis tùam inveniri gaùdeo. P. credò, pater.
Ch. At mi unus scrupulus ètiam restat, qui me male habet. P. dignus es
Cum tuà religione, òdium. nodum in scirpo quaeris. Cr. quid istuc est?
Nomèn non convenit. Cr. fuit hercle huic àliud parvae. C. quòd, Crito?
Numquid meministi? Cr. id quaèro. P. egon' huius mèmoriam patiàr meae

---

30. *tŭ aïs.* tu corripitur non eliditur. Conf. ad I, 2, 11.

33. *post illa* H, *postilla* ceteri. Si iunctim haec vox scribitur, ultima longa est ut in *postea;* sed quum versus sic non procedat, scribendum erat cum libro indicato *post illa:* prima in *illa* ut sexcenties corripitur. *Tum illam hic relinquere veritus est: postilla* cet. suo iudicio scripsit Bentleius

36. *Sane istam* H. *multimodis* B (P), *multis modis* ceteri. *civem inventam* pro *tuam inveniri* coni. Bentleius: scilicet offendit in verbis *tuam inveniri* propterea, quod Pamphilus, non Chremes, Simoni haec dicenti respondeat: itaque ad Pamphilum eum hisce verbis se convertisse Simonem statuit. Fallitur. Simo Chremetem alloquitur, et hic etiam respondet, simulac Pamphilus duo verba, *credo pater*, ad captandam patris benevolentiam interposuit.

38. *odium* B V (P) veterrimus B[c] Nonius p. 379, 17. Cledonius 1901., *odio* ceteri.

Voluptati obstare, cum egomet possim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus, Chreme, quod quaeris, Pasibula — C. ipsast. Cr. east.
Pa. Ex ipsa milies audivi. S. omnis nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo credere. C. ita me Di ament, credo. P. quid restat, pater?
Si. Iam dudum res redduxit me ipsa in gratiam. P. o lepidum patrem.
De uxore, ita ut possedi, nil mutat Chremes. C. causa optumast:
Nisi quid pater aït aliud. P. nempe id. S. scilicet. C. dos, Pamphile, est
Decem talenta. P. accipio. C. propero ad filiam. eho mecum Crito:
Nam illam me credo haut nosse. S. cur non illam huc transferri iubes?
Pa. Recte admones. Davo ego istuc dedam iam negoti. S. non potest.

---

41. *egomet* 3 B^c H, *ego* ceteri. *egomet* recepi Bentleium secutus, sed fortasse genuina est meliorum librorum scriptura, *ego*, quae si admittatur, ultima in *possim* adiuvante diaeresi non eliditur simulque arsis ope producitur.

42. *Pasibulast* libri, *Pasibula* Bentleius; recte. Pamphilus orationem suam nondum ad finem perduxit, quum interpellat Chremes.

44. *Di* corripitur non eliditur.

47. *ait aliud* B et multi alii F^c et (P), *aliud* ait H. Bentleius nihil de libris suis rettulit. *Pamphile* B cum multis F^c et B^c et (P), *Pamphili* H. *id* in libris Simoni tribuitur, rectius Pamphilo dedit Bentleius. *siquid* pro *quid* coni. Bentl.

48. *propere ad filiam eho mecum Crito* codex Academicus Bentleii.

49. *haut nosse credo* nonnulli recentiores F^c 2 B^c.

50. *ego* om. recent. F^c.

PA. Qui? S. quia habet aliud magis ex sese et maius.
P. quidnam? S. vinctus est.
PA. Pater, non recte vinctust. S. haut ita iussi. P. iube
solvi, obsecro.
SI. Age fiat. P. at matura. S. eo intro. P. o faustum
et felicem diem.

ACTUS V. SCAENA V.

CHARINUS. PAMPHILUS.

CH. Proviso, quid agat Pamphilus: atque eccum. P. ali-
quis forsan me putet

---

51. *Qui non potest* P H et octo (peioris notae) libri a Westerhovio memorati.

52. *haut ita iussi*, h. e. haud ego iussi, ut *non recte* (laxe), sed ut *recte* (firmiter) vinciretur. Senex rebus secundis exhilaratus iocando torquet filii orationem: nam is quum dixisset Davum iniuste vinctum esse, senex ea verba sic accipit, quasi filius dixisset Davum non diligenter ac firmiter vinctum esse. Egregie hoc perspexit Donatus: Non recte: *id est* non iuste: *sed hic ad causam retulit* non recte, *senex vero ad rem. at ita iussi*, quod in codice Academico Bentleii legitur, interpolatoris est, qui non videret ad verba *haut ita iussi* non solum adverbium *(recte)* sed adverbium cum sua negatione *(non recte)* mente repetendum esse. Ab interpolatore deceptus est Bentleius idemque Donati verbis ad scripturam correctam probandam male usus est.

53. *at mature* coni. Tanaq. Faber et Bentleius. Utrumque, *at matura* et *at mature* bene dicitur. *hunc diem* (P) H, *hunc* om. B cum aliis F[e] et plurimi B[c] et Nonius p. 426, 21.

1. *forsitan me putet* P H, *forsan m. p.* Faernus et Bentleius ex omnibus suis libris dederunt, si ex eorum silentio fides, et ita quoque Westerhovius scripsit nulla indicata scripturae varietate. Hermannus *Elementis d. m.* p. 176. scripsit,

CH. *Proviso, quid agat Pamphilus: atque eccum.* P. *aliquis me forsitan*
Putet non putare hoc verum.

Idem omnes ceteros huius scaenae versus numero iambico astringendos censet. Id qui probat ultimam nominis *Pamphilus* arsi productam existimet, quod perraro fit apud Terentium: nam quod Hermannus dicit de venia asynartetorum falsum est: quippe nulli

Non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum liquet.
Ego vitam deorum propterea sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriae sunt: nam mi immortalitas
Partast, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.
Set quem ego mihi potissimum optem, nunc cui haec narrem, dari?
CH. Quid illud gaudi est? P. Davom video. nemost, quem mallem omnium:
Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.

ACTUS V. SCAENA VI.

DAVUS. PAMPHILUS. CHARINUS.

DA. Pamphilus ubinam hic est? P. Dave. D. quis homo est? P. ego sum. D. o Pamphile.

---

sunt asynarteti in Terentii versibus. Quo quum accedat, quod in primi versus fine verba contra librorum fidem transponenda sint: equidem neque hanc Hermanni rationem probo, neque versus 2 — 5. pro iambicis cum eodem accipio, sed acquiesco in vulgata lectione, ac versus 2 — 6. cum Bentleio pro trochaicis accipio. Et vero summum Pamphili gaudium et exsultatio aptius trochaeis includitur, quem numerum in versu 7. in iambicum immutandum fuisse quivis videt.

2. *licet* codex Academicus Bentleii, *lubet* ceteri, *liquet* Bentleius; recte.

3. *Ego vitam deorum* B b B^c H, *Ego deorum vitam* ceteri F^c et (P); *Ego deorum vitam propterea sempiternam arbitror* Nonius 361, 31., *Ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror* Servius ad Virgilii Eclog. VII, 31.: hunc secutus est Bentleius. Scholiasta: Ego deorum vitam propterea: *hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit.*

5. *nulla umquam* unus codex Lipsiensis Hermanni l. c.

6. *ego mihi pot.* B atque alii multi F^c (P), *ego potissimum mihi* pauci F^c et H. Bentleius de suis libris nihil rettulit. *optem* B (P) 1 B^c atque cod. Lips. Hermanni l. c., *exoptem* ceteri. *cui* corripitur, non eliditur. In 2 B^c *cui nunc* legitur, sed hoc ego interpolatori tribuo, qui offenderet in hiatu legitimo. Bentleius scripturam interpolatam recepit.

7. Male hunc versum tanquam trochaicum dimetitur Bentleius. *malim* H.

1. *ubinam est* 2 B^c. *quisnam homo est* nonnulli recentio-

Pa. Nescis quid mi obtigerit. D. certe: set quid mi obtigerit scio.
Pa. Et quidem ego. D. more hominum evenit, ut, quod
sim nactus mali,
Prius resciscerès tu, quam ego illud quod tibi evenit boni.
Pa. Mea Glycerium suos parentes repperit. D. factum bene.
C. hem.
Pa. Pater amicus summus nobis. D. quis? P. Chremes.
D. narras probe.
Pa. Nec mora ulla est, quin iam uxorem ducam. C. num
ille somniat
Ea, quae vigilans voluit? P. tum de puero, Dave? D.
ah desine.
Solus est, quem diligant Di. C. salvos sum, si haec vera sunt.
Conloquar. P. quis homost? o Charine, in tempore ipso mi
advenis.

---

res, F^c, *o.* om. 1 B^c. *ego sum Pamphilus* codex Academicus Bentleii. Bentleius tum proprio indicio tum ex indicatis libris sic versum constituit:

Da. *Pamphilus ubinamst?* P. *hic est, Dave.* D. *quis homost?* P. *ego sum Pamphilus.*

Si Pamphilus quaerenti Davo iam respondisset, *hic est, Dave,* ille non amplius poterat dicere, *Quis homost?*

3. *sim ego nactus m.* coni. Bentleius, qui temere in accentu (ictu) haerebat.

4. *illud* om. codex Palatinus Fabricii. *quam ego tibi quod e. b.* coni. Bentleius.

5. *reperit* Lindenbrogius. *factum bene* B et nonnulli alii F^c (P) 1 B^c, *o factum bene* ceteri. *o* fortasse addidit metricus, qui *reperit* falso scriptum legebat.

7. *quin iam* 2 B^c veterrimi, *qui iam* P, *quin eam* Faernus et H.

9. *Solus es* 2 B^c, sed interpolatoris hoc videtur esse, qui Davum haec verba ad spectatores conversum dicere ignoraret: nollem igitur recepisset Bentleius. *diligant* antiqui F^c plures B^c (P) H, *diligunt* ceteri. *diligunt* recepit Bentleius.

10. *o* om. Bentleius. *conloquar* et *quis homost* tanquam tribrachi vel anapaesti recitandi sunt. Ceterum ante *Conloquar* additum legitur *adibo et* in P H, aliis. Faernus haec ex libris suis non enotavit: videntur igitur ab iis abfuisse.

CH. Bene factum. P. audistin'? C. omnia. age, me in tuis
secundis respice.
Tuus est nunc Chremes: facturum quae voles scio esse omnia.
PA. Memini: atque adeo longumst, nos illum expectare,
dum exeat.
Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. tu, Dave,
abi domum.
[Propera. adcerse, hinc qui auferant eam. quid stas? quid
cessas? D. eo.]
Ne exspectetis dum exeant huc: intus despondebitur:
Intus transigetur si quid est quod restet. Plaudite.

---

11. *audistin'* B (P) alii F^c et plurimi B^c, *em audistin* H, *hem audistin'* ceteri. Bentleius de Faerni coniectura *audisti* scripsit, ut hic versus esset ut antecedentes trochaicus. Sed quum summissa precantis Pamphili oratio multo aptius iambis quam trochaeis incedat, quumque versus subsequens bene ut iambicus recitari possit, librorum scripturam teneo ac Pamphili preces iambis includo.

14. *sequere hac me intus ad Glycerium nunc* B (P). *sequere me hac intus. apud Glycerium nunc est* H, *nunc est* etiam B^c.

16. *propera* Faernus, *propere* P H plures B^c. Si, cur hunc versum tanquam suppositicium incluserim, explicatius dicerem, sane lectorum iudicio parum tribuerem. Quisquilias hasce odiosas non videtur legisse Donatus, qui quidem ad verba intus ad Glycerium haec scribit: *Iam post scenam itur, quia ulterius in proscenio nihil agitur.* Addidit versum interpolator nimium anxius, ut ne oblivisci Pamphilus videatur id, quod dixit V, 3, 50. *Davo ego istuc dedam iam negoti.*

17. Ω. *plaudite* B P alii, ω. *plaudite* B^c H. Hac nota designari CA., h. e. *Cantorem*, opinatur Bentleius. Sed qui *plaudite* dicit, idem haud dubie versus 16. et 17. recitat: itaque, si vera esset Bentleii explicatio, ante v. 16. ponenda erat haec nota. Adscripta est a grammaticis littera ω ad indicandum fabulae finem, ut recte explicuit Dacieria.

CORRIGENDA IN ANDRIA.

Pag. 3 lege *cognoscere.*
— 10 not. lege *incipit,*
— — — — *Bentleii*
— 16 v. 138 lege *opust*
— 24 not. 7 — *quia* v. (2) ae
— 26 vers. 30 — illa
— — — 32 — agit
— 31 — 36 — consilio
— 37 v. 28 — *deserturum,*
— 39 — 18 — *Memini*
— 41 not. 17 — *hanc:*
— 44 v. 5 lege *hŭc*
— 54 — 17 — *Ego vero solus.*
— 55 — 3 — *Servon*

TYPIS TROWITZSCHII ET FILII.